

VESTÆ CULTUS

THESE IN QUID

VESTÆ CULTUS

IN INSTITUTIS VETERUM PRIVATIS PUBLICISQUE
VALDERIT ?

THE
JOURNAL OF THE
ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE
OF GREAT BRITAIN AND IRELAND
VOLUME 34. PART 1. 1904.

Published by the Royal Society of London.
Printed by the University Press, Cambridge.

THE
JOURNAL OF THE
ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE
OF GREAT BRITAIN AND IRELAND



Ambrants. — Ex Typis T. Jeune.



H. F. u. f. 80 (4, 5.)
QUID

VESTÆ CULTUS

IN INSTITUTIS VETERUM PRIVATIS PUBLICISQUE
VALUERIT?

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

FUSTEL DE COULANGES

AMBIANIS

EX TYPIS T. JEUNET

1858



DE
LA
BIBLIOTHÈQUE
NATIONALE
DE
PARIS

H. F. n. 7. 80 (p. 2.)

VESTAE CULTUS

1888
1889
1890
1891
1892
1893
1894
1895
1896
1897
1898
1899
1900
1901
1902
1903
1904
1905
1906
1907
1908
1909
1910
1911
1912
1913
1914
1915
1916
1917
1918
1919
1920
1921
1922
1923
1924
1925
1926
1927
1928
1929
1930
1931
1932
1933
1934
1935
1936
1937
1938
1939
1940
1941
1942
1943
1944
1945
1946
1947
1948
1949
1950
1951
1952
1953
1954
1955
1956
1957
1958
1959
1960
1961
1962
1963
1964
1965
1966
1967
1968
1969
1970
1971
1972
1973
1974
1975
1976
1977
1978
1979
1980
1981
1982
1983
1984
1985
1986
1987
1988
1989
1990
1991
1992
1993
1994
1995
1996
1997
1998
1999
2000
2001
2002
2003
2004
2005
2006
2007
2008
2009
2010
2011
2012
2013
2014
2015
2016
2017
2018
2019
2020
2021
2022
2023
2024
2025
2026
2027
2028
2029
2030
2031
2032
2033
2034
2035
2036
2037
2038
2039
2040
2041
2042
2043
2044
2045
2046
2047
2048
2049
2050
2051
2052
2053
2054
2055
2056
2057
2058
2059
2060
2061
2062
2063
2064
2065
2066
2067
2068
2069
2070
2071
2072
2073
2074
2075
2076
2077
2078
2079
2080
2081
2082
2083
2084
2085
2086
2087
2088
2089
2090
2091
2092
2093
2094
2095
2096
2097
2098
2099
2100

THESE PROPOSAL



AMERICAN

1888



A M. J.-D. GUIGNIAUT

HOMMAGE

DE RESPECT ET DE RECONNAISSANCE



1870
1871
1872
1873
1874
1875
1876
1877
1878
1879
1880
1881
1882
1883
1884
1885
1886
1887
1888
1889
1890
1891
1892
1893
1894
1895
1896
1897
1898
1899
1900

THE J. D. GILBERT

HONORABLE

OF DISTRICT OF COLUMBIA

INDEX CAPITUM.

	Pages
I. Vestam fuisse antiquissimis temporibus adoratam . . .	1
II. Vestam fuisse in præcipuo honore præ omnibus Diis apud Græcos et Romanos.	3
III. Quid fuerit in naturâ rerum Vesta?	5
IV. Quid fuerit in rebus humanis Vesta, quid Genii, Lares, Penates?	8
V. De Genio; de homine privato privatisque officiis. . . .	12
VI. De vi religionis ad jungendos societate homines. . . .	14
VII. De Lare familiari; de familiâ.	16
VIII. De jure domestico.	22
IX. De gente, de Deo gentili	27
X. De phratriâ seu de curiâ	32
XI. De Vesta civili; nascitur inter homines civilis societas. .	35
XII. Urbs conditur.	38
XIII. De foco publico urbium.	44
XIV. De jure publico	49
XV. De jure civitatis; de exsilio; de pietate erga patriam. . .	56
XVI. De hoste.	60

QUID
VESTÆ CULTUS

IN INSTITUTIS VETERUM PRIVATIS PUBLICISQUE
VALUERIT?

I.

Vestam fuisse antiquissimis temporibus adoratam.

Putabant Græci Romanique valdè antiquum fuisse Vestæ numen. Romani quidem Vestam in urbem Albā allatam, Albam Trojā, Trojam ex insulā Samothraciā memorabant¹, scilicet in antiquissimis quàm possent temporibus cultūs originem, sicut et gentis, ponentes. Idem et Græci significabant, quum familiam Deorum fingerent, in quā Vesta prima natu erat, nato nondum ullo Deorum qui templa posthac habuerunt.

ῥεῖν δ' ὑποδυθεῖσα Κρόνῳ τέκε φαιδίμα τέκνα,

Ἰστίν, Δήμητρα, καὶ Ἥρην χρυσοπέδιλον,

Ἰφθίμου τ' Ἀἴδου καὶ ἐρίκτυπον ἐννοσιγχαίου,

Ζῆνα τε. — Hesiodi theog. v. 454².

At si aliis credas, neque cujusquam filia neque omnino nata Vesta erat, sed, quum ante omnia exstisset, juncta Cœlo genue-

¹ Plutarch. vit. Camill. c. 20. — Dionys. Halic. II, 66.

² Cf. Orphic. carm. LXXXIV, et Pindar. Nemeor. II.

rat omnes Deos. Ἑστία, inquit Evhemerus ¹, γυνὴ Οὐράνου, μήτηρ Τιτῶνος καὶ Κρόνου καὶ Πέας καὶ Διμήτρου. Quidquid id est, antiquam utique et a primâ gentis Græcorum ætate adoratam fuisse apparet.

Cuncta fere alia Græcorum numina suæ originis indicia præ se ferunt; quando et ubi nata sint pœnè notum est. Jovem in Cretâ insulâ educatum, Apollinem Deli natum, Neptunum per maria asportatum Græci prædicabant, tot ejus modi fabulis externos sibi esse illos Deos indicantes. Docet verò Herodotus ², haud incuriosus quidem veterum religionum investigator, fere unum Vestæ cultum non ab Ægypto in Græciam transiisse: unde putare est Vestam non aliunde allatam, non adoptivam, sed quasi Græcis cognatam fuisse.

Eo autem Vestæ antiquitas manifestior est, quòd communis fuit duobus populis qui in Græciâ et in Italiâ consederunt. Neque adeo eosdem ritus, eundem cærimoniarum ordinem, idem Deæ nomen duæ illæ gentes habuissent, nisi jam antiquitùs et quasi a cunis, priusque quam una ab alterâ discederet, numen id coluissent.

At si ad barbaras gentes respexeris, Vestam apud Scythas adoratam fuisse affirmat Herodotus ³. Ubi verò Græci Persarum mores et religionem scrutari cœperunt, inter illorum numina Vestam suam agnovère. Hinc Ἑστία illa πατρώος cui Cyrum haud semel sacrificantem fingit Xenopho ⁴. Hinc Strabo Ecbatanenses Vestæ dicavisse ædem affirmat. Nempe ut eadem erat effigies, ignis scilicet, sic idem numen invocatum fuisse ab Ecbatanensibus Atheniensibusque ac Romanis putandum est.

Nempe Persarum, Scytharum, Græcorumque ac Romanorum,

¹ Apud Diodor. Sic. VI, 2.

² Herodot. I, 51.

³ Herodot. IV, 59; IV, 127.

⁴ Xenoph. Cyrop. I, 6; VII, 5.

ut idem fuit genus, ita communis religio. In ultimâ antiquitate et in ultimis Asiæ regionibus ortus est apud homines Vestæ cultus, dein a longinquo illo quasi cunabulo ab hominibus emigrantibus simul allatus, ac per sæcula et gentes varias piè continuatus. Quemadmodum Trojâ captâ non fugisse Ænean fingunt nisi eum penetibus et magnis Diis, sic priscae illæ nationes non ab oriente sole ad occidentem sine Vestâ diffluerunt.

II.

Vestam fuisse in præcipuo honore præ omnibus Diis apud Græcos et Romanos.

Idem vero numen in præcipuâ veneratione apud Græcos et Romanos fuisse dixerim. Videbimus infra nullam fuisse urbem in quâ Vesta non ædem habuerit, et veteres credidisse ex illius arbitrio fortunam cujusque civitatis pendere. Vestam enim præ omnibus Diis valentem Græci Romanique credidere,

Vestamque potentem

dicat Virgilius. Imo et ipsi Dii Vestam colere et venerari fingebantur. Inter Deos non fere minus quàm inter homines regnabat :

Ἰστίη, ἡ πάντων ἐν δόμασιν ὑψηλοῖσιν
ἀθανάτων τε θεῶν, χαμαὶ ἐρχομένων τ' ἀνθρώπων
ἔδρην αἰδίου ἔλαχες, πρεσβυίδα τιμὴν
καλὸν ἔχουσα γέρας ¹.

Sic jam conveniebat familia Deorum circum Vestam, ut mox circum eandem convenient hominum familiæ ac civitates.

¹ Homeric. hym. 29.

At in sacris hominum primas semper partes agebat, ut monet Ovidius,

Affamur Vestam, quæ loca prima tenes ¹.

Imo nulli unquam Deorum sacrificatur, nisi Vesta prima invocetur : « Nonne, inquit Socrates apud Platonem, ab Vestâ, *ut mos est*, incipiemus? nonne autem Vestæ primæ ante omnes Deos sacrificare æquum est? ² » Nulli Deo sacrificium erat, nisi Vesta in parte honoris esset. Primæ postremæque preces illi offerebantur; unde in homerico hymno *πρωτὴ πυματὴ τε* dicitur ³. Non ab Jove principium erat, sed ab Vestâ. Apud Eleos prima sacrificia Vestæ peragi, deinde Olympio Jovi docet Pausanias ⁴. Quod Athenis quodque fuisse publicè usitatum ex hoc Aristophanis joco constat :

Εὐχεσθε τῇ Ἑστίᾳ τῇ ὀρνυθείῳ, καὶ τῷ ἑστιούχῳ
καὶ ὀρνισιν Ὀλυμπίοις, καὶ ὀλυμπίῃσι πᾶσι καὶ πασῇσι.... ⁵.

Omnis igitur veterum religio plena erat Vestæ; nulla erat cærimonia cui non adesset. Quoties hominibus cum Diis res erat, res erat cum Vestâ præcipuè. Videbantur ad eam verti omnes preces, omnia sacra.

Prout, labentibus sæculis, corrupta fuit religio, sensim Dii alii in opinionibus hominum majores facti sunt, et majora templa præclarasque imagines sortiti Vestæ offecerunt. Nihilominus tamen Vesta in intimo ejusque Dei cultu mansit, Diis illis supposita et quasi sublatens.

¹ Ovid. Fast. VI, 304.

² Platon. Cratyl. ed. Didot, c. 18.

³ Homeric. hym. 29.

⁴ Pausan. V, 14.

⁵ Aristophan. Aves, v. 865.

III.

Quid fuerit in naturâ rerum Vesta ?

Ovidius in illo Fastorum libro, in quo se tam religiosum veterum religionum investigatorem præbet, dicit Vestam eandem esse ac terram ¹. At Euripides :

γαῖα μήτηρ, ἔστιν δὲ σ'οἱ σοφοὶ
ἑροτῶν καλοῦσιν ².

tanquam γῆ vulgare fuerit vocabulum, ἔστια sacrum. Vult autem Plutarchus non terram Vestâ significari sed mundum, docetque Pythagoreos ἔστιαν habuisse illum ignem aut focum communem in medio mundo positum, tanquam μονάδα, quam circâ explicatur et circumvolvitur rerum universitas ³.

Audiamus nunc Platonem : « Vesta est, inquit, rerum omnium οὐσία; imo ἔστια eadem vox est ac οὐσία; id enim verbum apud quosdam Græciæ populos ἐστία pronuntiabatur ⁴. » Adeo credit Vestam esse quasi essentiam mundi, et, ut ait Proclus, ὅλην τοῦ ὄντος ⁵.

Vesta igitur est rerum natura et mundus. At variæ hominum gentes non iisdem, ut ita dicam, oculis mundum spectaverunt. Nili quidem accolam movit percussitque præcipuè vis illa plantarum atque animantium ferax, fecundus ille solis calor et uber terræ matris sinus. Inde factum est ut in mundo nihil ferè aliud quam fecunditatem illam animadverteret, et eandem pro Deo

¹ Ovid. Fastor. lib. VI, v. 287.

² Euripid. ap. Macrob. Saturn. I, 23.

³ Plutarch. Numa, c. 11.

⁴ Plato, in Cratylō, edit. Didot, c. 18.

⁵ Proclus ad Timæum. p. 284, ad Cratyl. p. 83.

habitam adoraret. De gentibus autem illis quæ ab Indiâ antiquitûs profectæ ad Italiam usque diffusæ sunt, non item fuit. In hac enim universâ rerum naturâ non vi, non fecunditate, sed potius dispositione et ordine perculsas fuisse verisimile est. Miratæ sunt elementorum concordiam, certas omnium rerum leges, terræ cœlique vices. Non vitâ illâ ubique redundantî æquè motæ sunt ac illâ vi quæ vitam regit ac temperat. Hanc pro Deo habuerunt : dispositionem rerum, id est formam et quasi pulchritudinem artemque ac sapientiam mundi, non ubertatem adoraverunt. Inde eodem vocabulo (*κόσμος* scilicet et mundus) rerum simul universitatem atque ordinem Græci et Romani vocavêre.

Neque Vesta fecunditatis personam in naturâ gerit. Nam intermeratæ semper virginis castitatem tenuisse dicebatur, nec nisi a virginibus colebatur.

Vesta significat formam ac dispositionem mundi; quam quum effingat, eadem illi addicitur figura ac ipsi mundo. Quemadmodum enim cœlum Deus rotundavit, ita et Vestæ delubra homines. Non nisi tholus illi Deæ assignabatur, ut quamdam universi mundi referret imaginem. Vesta eadem est quæ terra, inquit Ovidius, adjicitque :

Par facies templi; nullus procurrit in illo
Angulus; a pluvio vindicat imbre tholus¹.

Quem morem jam antiquitus viguisse docet Plutarchus : *Νομῶς λέγεται τὸ τῆς Ἑστίας ἱερὸν ἐγκύκλιον περιβαλέσθαι, τῷ ἀσβεστῷ πυρὶ φρουρὰν, ἀπομιμούμενος τὸ σχῆμα τοῦ σύμπαντος κόσμου*². — Pausanias vidit apud Mantineos *ἑστίαν περίφερος σχῆμα ἔχουσαν*³. Nonnullis quoque in nummis Vestæ ædes, nec nisi rotunda, signatur. Nostrâ etiam ætate, haud procul a Româ, Vestæ tiburtinæ ædes

¹ Ovid. Fastor. VI, 280.

Plutarch. Numa, II.

³ Pausan. VIII, 8.

religionis illum morem testatur. Quod autem delubrum Romani incolæ monstrant et Vestæ ædem appellant, non equidem Vestæ sacratum fuisse concesserim. Non eo enim loco Vestæ ædem, sed juxta sacram viam fuisse et foro appositam multi auctores prodidere¹. Quam puto, simul ut christiani viguerunt, novæ religioni dicatam, et sancto Theodoro usque ad hanc ætatem sacratam fuisse. Ea verò ecclesia rotundam formam servat.

Illud etiam notaverim, Vestæ delubrum aut ædem ferè semper, non templum nisi a poetis dici : ideo, ut credo, quòd templis, seu in cœlo seu in terrâ augurali virgâ ducebantur, quadrata semper forma erat.

Putandum est etiam æternitatem immutabilitatemque mundi a Vestâ significari. Quàm mobiles cæteri Dii! quàm sedem facilè mutant! Apud Platonem, Jovem comitantur omnes Dii Deæque catervatim; at sola manet in domo Deorum Vesta². Plutarchus verò Vestam dicit ἐξ ἑδρας ἀκίνητον καὶ ἀμεταβλητόν³. Inde etiam Romanos subiit opinio Vestæ nomen a vocibus *vi stando* ortum esse :

Vi stando Vesta vocatur⁴.

Procul quidem dubio est unam ferè eandemque vocem esse ἑστίαν Vestamque et apud Græcos ἵστημι, apud Latinos *stare*, apud Germanos *fest*, quæ cuncta aliquid firmum fixumque significant.

Sola quoque, aut maximè inter cæteros, æterna est Vesta in æternumque Dea. Non semper regnaturus est Jupiter ipse, si credas Æschylo; at Vesta semper æterna a Romanis, αἰδώς a Græcis vocatur, eique laudem illam æternitatis peculiariter attribui notandum est.

¹ Cicero, de Divinat. I, 45; Livius, V, 32; XXVI, 27; Dionys. Halic. II, 66; Servius, VIII, 363.

² Plato, ap. Macrob. I, 23.

³ Plutarch. de primo frigido, 21.

⁴ Ovid. Fastor. VI, 299.

Ne plura, Vestam fuisse quasi naturæ centrum, formamque ac vim ordinandi dixerim. Hujus vero ordinis et quasi intelligentiæ quæ potuit esse verior ac fidelior effigies quàm infecundum illud et castum elementum, ita purum ut vel immunda purget, splendidum quoque ac pulcherrimum, inter omnia autem corporea tenuissimum et incorporeis, si dicere fas est, simillimum : ignem dico?

IV.

Quid fuerit in rebus humanis Vesta, quid Genii, Lares, Penates?

Quum ea sit in mundo Vesta, constans scilicet, immutabilis atque æterna, fons vero et origo omnis ordinis et disciplinæ, quæ esse debuit apud hominem? Namque ubi Deum sibi finxit homo, eum voluit suæ vitæ et suo animo interesse. Fingunt quidem poetæ cæteros Deos sese quandoque hominibus ostendere, quum de maximis rebus agitur. Vesta vero semper unicuique nostram adest et omnibus actis interest.

Quod ad corpus attinet, nihil non a Vestâ accipimus; ea est quæ cibum nobis præstet. Fingit Ovidius, obsesso a Gallis Capitolio, id muneris Vestæ ab Jove assignatum fuisse ut frumentum, si non superesse, at certè credi superesse efficeret :

Tu modo, quæ desunt fruges superesse putentur
Effice¹.

A Suidâ autem accipimus Numam Vestalibus non ignis tantum sed et aquæ curam tradidisse. In delubris Vestæ panem antiquitus confectum fuisse tradunt.

¹ Ovid. Fast. VI, 380.

At parva res est corpus hominis. Illius vero animus est quasi mundus, in quo plura elementa sunt, quæ valdè cavendum est ne inter se pugnent. Hic quoque omnia componi temperarique oportet, nihil turbari, nihil temere et inconsultè agi. Ea est Vesta quæ tot elementa regat et moderetur. Nihil impuri, nihil parum casti, nullam cupiditatem, vitium nullum apud Vestam reperiās : quippe quæ digna sit quæ menti humanæ intersit et eam ad propositum bene vivendi ducat.

Vesta eadem est ac Penates, aut saltem cum iis semper jungitur, quod quidem affirmat Macrobius dicens : Vestam de numero Penatium, aut certè comitem eorum esse manifestum est¹. At si credas Varroni, tres numero Penates, aut tres Samothracensium Cabiri, tres ve Dactyli Idæi, unius ejusdemque Vestæ membra erant². In sermonibus vero hominum Vesta cum Penatibus ita miscetur ut unum numen putes :

Sacra suosque tibi commendat Troja *Penates*,

ait Hector somniantem Ænean allocutus,

Et manibus vittas *Vestamque* potentem

Æternumque adytis effert penetralibus *ignem*.

quemadmodum vero Vesta potens dicitur, sic Penates magni Dii, Dii potentes, *θεοὶ δυνατοί, θεοὶ κρατοί* vocantur³.

Ex illo autem Penatium nomine facilè intellexeris vim quamdam intus et penitus in nobis agentem : quæ quidem sedere debuit in intimo quoque homine priusquam in penetrali cujusque domûs statueretur : vis est enim illa secreta, quâ movente ac regente, vitæ corporisque et animi munera aguntur. Penates esse dixerunt, inquit Varro, per quos spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus⁴.

¹ Macrobi. Saturn. III, 4.

² Varro apud Macrobi. ibid. cf. Augustin. Civ. Dei VII, 2; VII, 13.

³ Macrobi. Saturn. III, 12; Servius III, 12.

⁴ Varro, apud Macrobi. Saturn. III, 4.

At vim illam omnibus æquè hominibus communem, si inter eos distributam et cuique propriam factam respexeris, non jam universis legibus tantùm præest, sed unumquemque nostrum regit ac movet, unicuique consulit, uniuscujusque utilitatem et felicitatem suscipit. Tum ille Lar aut Genius ab hominibus appellatur. Larem verò cum Vestâ connexum fuisse et idem numen duobus his nominibus sæpe appellatum, probat hic Virgilii versus:

Pergameumque Larem et canæ penetralia Vestæ¹.

Genium quoque eundem fuisse ac Larem, ex multorum veterum auctoritate, monet Censorinus².

Seu Genium, seu Larem, seu Penates, seu Vestam respexeris, eadem sunt sacrificia, pulte scilicet, fritillâ, libis, mero, odoribus, postea et porco³.

At Manes iidem erant ac Genii, qui, quum corporibus ab ortu juncti essent, ne mortua quidem ea deserebant, corporibusque etiam consumptis sepulera tenebant. Inde illa vox Virgilii,

Id cinerem aut Manes credis curare sepultos.

Mortui nempe hominis Lar aut Genius non simul moritur, sed, nomine tantum mutato, Manes fiunt. Dicit Varro omnes mortuos existimari Manes Deos⁴.

Genii igitur, Lares, Penates ac Manes quasi partes et membra sunt unius corporis, Vestæ scilicet. Quidquid vivit spiratque in nobis, quidquid nobis agentibus invigilat, Vesta est. Idem illud numen, si Genium vocaveris, privato homini consulit; idem, si Larem familiarem, familiæ; idem, si vocaveris Vestam, universo mundo. Ea est ordinandi vis, quæ ubique diffusa, ubique præ-

¹ Virgil. *Æneid.* V, 744.

² Censorin. de *Dio Nat.* 3.

³ Plaut. *Captiv.* II, 2; Horat. *carm.* IV, 11; III, 17; *epistol.* II, 1, 143; *Tibull.* I, 18; *Persius* II, 3; *Plinius* XVIII, 8.

⁴ Augustin. *Civit. D.* VIII, 26.

sens, cùm totam rerum naturam partesque omnes naturæ, tùm præcipuè hominem, ut maximè ordinis egentem, regit et ordinatur.

Quo verò modo notitiam illius ita absconditi numinis mentes humanas subiisse conjiciendum est? Non faciliè putaverim, primo quasi impetu, hominem adhuc rudem, universam Vestam sibi in animo finxisse. Is est enim homo qui quidem vel immensa et sublimia cogitatione attingere possit, sed non sine longo multarum ætatum labore attingat. Notitia illa Dei qui res universas complectatur in omnibus animis ingenta, sed quasi seposita fuerat, neque e caligine statim emersa est. Antequam maximum illud numen hominibus appareret, numina quædam minora et debilitati humanæ magis accommodata sese nosci passa sunt, si verisimilia dicere fas est. Genium, Larem familiarem, Penatesque, membra illa Vestæ, vel potius Vestam nondum explicatam neque adultam, noverunt primùm. Ex illis Deos colere didicit et consuevit genus humanum; per illos sensim ad universam Vestam adorandam ascendit.

In semetipso enim primùm Deum homo invenit; rudis omniumque rerum et sui ipsius ignarus, vim quamdam ignotam animadvertit in seipso agentem; quum nesciret quis in se cogitaret, quis membra moveret, quis corpori consuleret, a quo doceretur omnia sine quibus vivere non posset, vim illam cujus auxilio vivebat cogitabatque, et quæ sua omnia tam benè temperabantur, pro Deo habuit et appellavit Genium, naturæ scilicet Deum humanæ, ut ait Flaccus. Sic eum primò sibi Deum finxit, cujus ipse capax erat, scilicet seipsum; et quisque suum in se invenit numen: quod postea, invalescente paulatim mente, auxit et toti generi humano, imo et universo mundo commune esse intellexit.

Hanc autem religionem non unus homo invenit docuitque ceteros, sed omnes simul in animo reperere. Inde fieri non potuit ut hujus colendæ religionis curam sacerdotale quoddam

genus peculiariter susceperet. Sed quemadmodum Vesta in animo cuiusque sedebat, et suus erat cuique Genius, sic pro se quisque sacerdos fuit. Nemo non Deum invocare potuit, imo nemo non Deo sacrificare. Suum quisque quem sibi finxerat Deum suo modo, ut libuit, adoravit. « Præcipit aruspex, inquit Varro, ut suo quisque ritu sacrificium faciat. »

Nihil autem simplicius illis cærimoniis ; focus pro templo est, ignis pro effigie Dei, herbæ et fruges pro munere¹. Neque multâ impensâ neque difficili curâ opus est : ritus ii sunt quos memoria facilè teneat ; omnia prompta, omnia in domo, in manu sunt.

At cultus ille omnium dierum, imo horarum est. Omnes epulæ sacrificia sunt ; omnis mensa tanquam ara est in quâ sacrificetur. *Ἱερὸν τε ἡ τραπέζα* inquit Plutarchus². Initio quidem, nonnullis libatis guttis, vinum dicatur Vestæ aut Genio ; sic et peractis precibus, dicantur fruges de quibus cænandum est. *Ἀφ' ὧν μέλλομεν ἐσθίειν*, ait idem Plutarchus, *ἱερὰ πάντα ποιῶμεν διὰ τοῦ ἀπάρξασθαι*³. Sub fine, ejusdem nomen iterum invocatur, gratiæque aguntur. Vel obsoletâ religione, mansit usus, Flaccusque dixit :

Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus⁴.

V.

De Genio ; de homine privato privatisque officiis.

Δαίμονα Θεὸς ἐκάστη ἔδωκε, inquit Plato⁵ ; quod ita equidem interpretor : suum sibi quisque fecit genium Deum.

¹ Theophrast. ap. Porphy. de Abstin. II, 15.

² Plutarch. Quæst. rom. 64.

³ Plutarch. Comment. in Hesiod. 44.

⁴ Horat. Sat. II, 6, 66.

⁵ Platon. Tim. p. 90.

« Genius ita nobis assiduus est observator ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris exceptos ad extremum usque diem comitetur¹. » Nobiscum nascebatur ille Genius, et nobis in omni re agendâ aderat;

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ Deus humanæ².

Quem verò viri Genium, feminae Junonem appellabant, unde illæ voces, natalis Juno et Juno pronuba vel jugalis. At Plinius: Junones Geniosque adoptando sibi, singuli ex semetipsis totidem Deos faciunt³.

Huic Genio omnia agenda acta ve referebantur; si quis felix infelixve esset, eum albo vel atro Genio uti dicebant, *εὐδαίμονα* vel *καχοδαίμονα* vocabant. Nihil boni non illi assignabatur; prospera suo Genio potius quàm suæ virtuti imputare homines malebant, et nullâ re gloriabantur magis quàm felicitate. Magnis idè dicebatur ille Genius, et Varro eundem inter potentes et selectos Deos ponebat⁴. Festus vero Genium appellat « qui vim obtineat rerum omnium gerendarum⁵. »

Huic quotidianæ preces, quotidiana sacrificia erant, quæ quidem constabant epulis ritè peractis. Unde manarunt illæ voces, genio sacrificare, genio indulgere, genium mero curare; quæ postea, obsoletâ religione, nihil fere aliud quàm epulari et se dare gulæ significaverunt, eadem vero apud priscos homines sacrum aliquid sonaverant.

Deus autem ille semper præsens hominem docuit benè cogitare, et bene agere et precari; suam cuique dignitatem animumque auxit, virtutem iniecit. Vox illa nempe, quam conscientiam

¹ Censorin. de Die Nat. 3.

² Horat. epist. II, 2, 187.

³ Plin. Hist. Nat. II, 5.

⁴ Varro, ap. Augustin. Civ. D. VII, 2.

⁵ Festus, v. Genius.

appellamus, Deus credebatur, et imperiosus quidem: ille ad honestum tendere jubebat, avertebat a malo; innocenti amicus erat, nocenti infestus. Deum autem illum quum non posse mori crederent, illa tam utilis vitæ futuræ notitia genus humanum subiit. Hinc spes, hinc metus, hinc conceptum mente et actum voluntate officium; hinc jam quædam privati saltem hominis disciplina.

VI.

De vi religionis ad jungendos societate homines.

Ita antiqua est hominum societas ut vix ullum tempus mens nostra sibi fingere queat quo non exstiterit. Neque illam tamen semper exstitisse aut facile constitutam fuisse putandum est.

Finge vi quædam leges nostras deleri, metu pœnæ malos liberari, fiduciâ nudari bonos, ignarum vulgus a tutelâ prudentium deduci, et homines consuetudine inter se rectè ac moratè vivendi exui. Quantum confusa et perturbata omnia esse credas! Ruunt libidines, et torrentis instar omnia vastant; diffugit passim et dissipatur genus humanum, pejus bestiis simul et debilius. Vide eos passim

Errare atque viam palantes quærere vitæ.

I nunc et ita dispersos rursus consociare tenta. Quàm multæ verò et variæ cupiditates tibi obstant! quàm acriter privata cuiusque utilitas cum publicâ pugnat! Necesse est plus quàm bestias domes et mansuefacias; odium, avaritiam, invidiam silentio obruas; ambitioni des frenum; quæ vitia, imo quas virtutes diversas fert natura, dociles facias et ad publicum commodum convertas; eoque usque homines adducere possis ut se invicem

diligant, et velint tùm parere dociliter, tum justè imperare. — Unde conijcere potes quantæ molis fuerit, primâ generis humani ætate, magnificum illud societatis exstruere ædificium.

Id autem fuisse mihi videtur excellentissimum Dei erga nos beneficium, quòd, quum vellet homines societate jungi, illis penitus inscripserit omnibus eamdem suâ notitiam et quasi effigiem, quæ esset societatis morumque et humanitatis origo.

Illa enim numinis species in animis signata, ut res maximè communis omnibus, ita apud quemque potentissima fuit. Non ita communem constantemque apud primos homines fuisse crediderim justî in justique distinctionem; quam quidem ita sæpe utilitas et libido lacessunt, et quandoque adulterant. Nostris etiam temporibus non ita semper consentiunt duo homines de jure aut officio; quantò verò rarior consensio esse potuit eâ ætate quâ nulla lex, consuetudo nulla ignaris incertisque et in malum naturâ promptis mortalibus viam ostendebat! At iis temporibus, quò de jure minus, eò de Deo magis consentiebant: quæ opinio tunc tantùm labat, quum senescunt populi; in origine verò societatum, communis est et æquipotens apud omnes. Non eadem est juris reverentia, modestia, virtus; sunt boni, sunt et mali. Sed apud omnes bonos pariter et malos Dei notitia et metus valent. Vel extinctæ virtuti supersunt, et in perditissimo quoque vigent. Ipse improbus Deum timet, et interdum arctiori religione tenetur.

Qualemcumque sibi homines fingant Deum, ex quo illum animo concepère, jam aliquod commune inter eos constat. Inde quædam fit inter mentes societas. Jam conveniunt et consociantur homines.

VII.

De Lare familiari; de familiâ.

Suum quisque conceperat Genium Deum, eum verò qui privatus tantùm et unius hominis esset. Brevi autem factum est ut cresceret numen illud quod omnes in pectore gerebant.

Quot erant in familiâ homines, tot Genii erant; omnes autem seu naturâ, seu necessitate, seu pietate quâdam eò adducti sunt ut unum inter se et communem Deum fingerent; eumque familiarem appellarunt, quum universæ familiæ invigilaret.

Ego sum Lar familiaris ex hac familiâ ¹.

Prout crevit processitque illa Vestæ religio, sic et humana societas pedetentim grassata est. Prima vero hominum societas familia fuit, prima civitas domus.

Vestam tradebant opificem et architectam fuisse domorum ². Non ideo putaverim eam lapides molesque extruxisse; sed docuit homines non jam sub Dio vivere, neque latibula quærere, sed sibi parare tectum, muros evehere audere quos ipsa firmavit, domum denique colere quam ipsa sacravit. Inde factum est ut in quâque domo locum usurparet Vesta, seu Lar familiaris. Ubi-que enim, seu super aram, seu in locuplete sacello, seu in pauperis modicâ lampade noctu diuque ignis erat. Quem quidem morem nostris etiam temporibus Græci Italique pertinaciter servant.

Exstructâ domo, circa Larem familiarem convocatur et jungitur familia.

¹ Plaut. Aulularia.

² Diodor. Sic. V, 68.

A connubio familiae principium. Falsa et commentitia est fabula Romanorum, quâ raptæ mulieres et ex eo raptu ortum connubium credebatur. Quod faciliè confutatur nota illa connubii religio, quâ tamdiu nefas fuit in alienam gentem aut civitatem enubere. Quum tanta apud posteros esset nuptiarum sanctitas, quum ne plebeiam quidem ducere posset patricius, nedum externam, unde illa religio potuit oriri, si Romulus ipse conditor et primus sacerdos urbis raptas mulieres et quas cuique sors obtulerat, sibi suisque dedisset? Eam autem ornavêre fabulam posteriori, ut aliquam de suis moribus et ritibus rationem ferrent; in eâ enim nonnullas justarum nuptiarum caerimonias agnoscimus. Fingebatur scilicet in nuptiis quidam raptus, virginemque non suâ sponte sed hominum manibus sublatam in domum viri adduci mos erat¹. — Eo ritu, eâ fabulâ significavisse videntur veteres quamdam inter duas familias de virgine pugnam, utrâque acriter connitente ut filiam retineat aut uxorem accipiat. Neque vero dirimitur certamen, nisi liberâ ipsius virginis optione; ex unâ illius voluntate victoria viro cedit, virgoque a domo patris, tunc demum assentientis et connubium paciscentis, abducitur.

Non autem satis est velle virginem, et assentire patrem; nulum verè connubium fuit quod non junxerit Vesta. In domo paternâ virgo religionum particeps erat et colebat focum; jam facta uxor a Lare paterno ad Larem mariti transgreditur; οὐκ ἔχει κοινωνίαν ἔτι τῇν τῶν πατριωτικῶν ἱερῶν, ἀλλ' εἰς τὴν τοῦ λαβόντος πάτραν συντελεῖ². Sic mutatâ religione, tanquam mutetur etiam genitilis ordo, necesse est puella solemniter novam vitam, nova sacrificia auspicetur. Hinc illa confarreatio, id est commune cum viro sacrificium, communesque epulæ ante focum Vestæ,

¹ Plutarch. V. Romul. 15; idem, Quæst. roman. 29; Festus, v. rapi.

² Stephanus Byz. V. πάτρα.

de pane rite confecto et quem vestalis focus sacrum fecit ¹.

Dantur quoque uxori aqua et ignis, quæ res, quum Vestæ dicatæ sint, indicant jam inde incipi sacrorum inter conjuges communionem, eundemque focum, eandem Vestam esse ².

Uxores autem cum viris simul sacrificare Vestæ solitas fuisse testatur Dionysius Halic. his verbis : τὰς γυναικὰς ἔταξε τῶν ἱερῶν ὁ Νομῆς τοῖς ἐαυτῶν ἀνδράσι συνιεῖσθαι ³.

De iisdem apud Græcos ritibus non liquet. Id factum esse potest ut ea gens, seu quia libros de religione non, ut Romani, habebat, seu quia naturâ mobilior erat, hos mores religionisque non obsoleri at debilitari et desiderare sineret. At ex illis nonnihil semper servatum esse constat, matrimoniumque fuisse semper religione sancitum ac rite fieri solitum. Ideo Clisthenes Sicyonius apud Herodotum hanc quasi formulam pronuntiat : τῷ Ἀλκμεῶνος Μεγακλεῖ ἐγγυῶ πᾶσι τὴν ἐμὴν Ἀγαριστὴν νομοῖσι τοῖς Ἀθηναίων, id est, secundum ritus vel religiones Atheniensium ⁴. Ex illis ritibus unus erat ut duo conjuges unâ cydoneum malum ederent ⁵. Ut Romæ sic et Athenis testes nuptiis adhibebantur ⁶. Vocabulum ὑμενῆιον cantabatur, ut Romæ *talassio* ⁷, et faces hymenæi idem valebant ac pinea illa fax quæ nuptæ romanæ oblata communicatum ignem indicabat ⁸. Imo vi auferebantur aut simulabantur auferri virgines Lacænæ, ut romanæ ⁹.

¹ « Farreo fit in quo farreus panis adhibetur.... adhibentur etiam sacra et solemnia verba. » Gaius, I, 112. « Solemni sacrificio facto in quo farreus panis adhibetur. » Ulpian. IX.

² « Sponsa in nuptiis jubetur aquam et ignem tangere. » Plutarch. Quæst. rom. I. — Varro dicit : « Aquâ et igni mariti uxores accipiebant, unde et hodie fasces prælucent, et aqua petita de puro fonte. » Servius, ad Æn. IV, 168. Adde Ovidii Fast. II, 558; Varro. de Ling. lat. V, 61.

³ Dionys. Halic. II, 22.

⁴ Herodot. VI, 130.

⁵ Plutarch. V. Solonis, 20.

⁶ Demosth. πρ. Ευβουλιδ.

⁷ Plutarch. V. Romul. 15.

⁸ Servius, loc. cit.

⁹ Plutarch. V. Lycurgi.

Hæc religionis communione sancitum fuit connubii fœdus; uxorem cum marito Vesta junxit. Ea fuit origo sacri et inviolandi matrimonii. Antea nihil fuerat in nubendo nisi libidinis quidam impetus; jam inde justa societas est et religio.

Nascuntur liberi: ii quoque ad focum conveniunt; sacrificanti patri matrique adstant, imo et ipsi sacrificant. Accipimus à Dionysio apud Romanos liberis etiam quædam ministeria in agendis religionibus fuisse, ita ut si quis nullum filium haberet, adoptandus esset aliquis in quoque sacrificio, qui filii personam ageret ¹.

At in domum et in familiam trahitur servus; is pro dimidio tantum e familiâ est, non sacerdos scilicet foci; nec tamen eum aversatur Vesta, quippe quæ omni domui patrocinetur; in partem tutelæ felicitatisque et bonorum admittitur servus. Quod ne dominus obliviscatur, illi in memoriam quandoque Dea revo-cat. Die scilicet festâ Vestæ, calendis martiis, servos quoque sacrificii esse participes et epulas eis a matronis apponi mos erat ². Ipsa animalia, canem, asinum, et quidquid domesticum erat, Vesta tueri credebatur.

Jam abhinc constat tota familia, quam junxit vestalis focus: hunc circâ coire placet, sacrificii et epularum causâ:

Ante focos olim longis considerare scamnis
Mos erat, et mensæ credere adesse Deos ³.

Hinc oritur quidam domûs cultus et amor; hinc arctum illud vinculum quo quisque focus suis alligatur; hinc quasi pietas erga tectum quod quemque nascentem adolescentemque tuetur.

Non dubia est Ithaci prudentia: sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focus ⁴.

Quid est sanctius, ait Cicero, quid omni religione munitius,

¹ Dionys. Halic. Ant. rom. II, 22.

² Macrob. Saturn. I, 12.

³ Ovid. Fast. VI, 305.

⁴ Ovid. Pontic. I, 3, 33.

quam domus uniuscujusque civium? Hic aræ sunt, hic foci, hic Dii Penates; hic sacra et religiones continentur ¹.

Apud nos quidem nulla est intra domum religio; domum relinquere et mutare fas est; quâ relictâ, ubique societatem humanam, jura, leges, religionemque invenimus. At primis illis hominibus intra domum religio erat, intra domum jus, intra domum societas. In suo quemque foco, nec in alieno sacrificare fas erat; si cui a foco cedendum erat, illi ferè nullus erat Deus.

Per urbes erret ignotas, egens,

Ex-ul, pavens, invisus,

exclamat Medea furens; nec satis est nisi id quoque adjiciat : *incerti laris* ².

Nihil non in vitâ humanâ foco addicebatur; huic dicabat libertus suam catenam, miles arma, bullam patricius ³. Ab exeunte dolenter, a reduce lætus salutabatur; huic moriens valedicebat ⁴. Tota ferè vita hominis ante focum agebatur, et quidquid domesticum erat ei referebatur.

Ut supra dixi Vestam esse vim stabilem immutabilemque naturæ, ita in rebus quoque humanis immobilis est, neque focus potest sedem mutare. Mortuo patre, non filius, prout libet, aliò cedit; necesse est ibidem vitam agat eundemque focum servet colatque. Jubet lex duodecim tabularum ritus familiæ patrumque servato. Quin etiam, si nullus filius, nullus morienti cognatus sit, nihilominus externus quidem genere, testamento autem domesticus factus, hæres cum fruendis bonis colenda quoque sacra accipit ⁵.

Inde fit ut familia cùm genere tùm potentiori etiam religionis

¹ Cicer. pro domo, 41.

² Seneca, Medea, 20.

³ Horat. Epist. I, 5; Ovid. Trist. IV, 8, 21; Persius V, 31.

⁴ Euripid. Alcest. v, 162.

⁵ Cicer. de Legib. II, 19.

vinculo continuetur. Per varias hominum ætates, per morientium ac nascentium vices familia manet perpetua et immobilis.

Idem unumque est in familiâ nomen, quod a patre ad filium transfertur. Quem morem cùm apud Romanos viguisse manifestum est, tùm apud Athenienses quoque quodam modo reperimus, præterquam quòd duo sunt in quâque familiâ nomina, quæ alternâ vice a patre ad filium transferuntur.

Vel vitâ functi familiâ non exeunt. Eos priscis quidem temporibus ante focum mandari terræ mos erat ¹, ita ut una eademque ara vitam hanc terrestrem mortemque, quæ altera credebatur vita, amplecteretur. Quum postea prudentia docuit homines cadavera melius extra urbes ponenda esse, facta est quædam discessio, divisâ in duas partes familiâ, quarum alteri Lares, alteri Manes, utrique sua ara esset :

Stant Manibus aræ.

Artissimum verò fœderis vinculum inter utrosque permansit ; neque minus una fuit familia quòd domum et focum mortuorum ad portas urbis, domum et focum viventium in urbe ponerent : ut si quis homo dives post negotia urbis in quietem suburbanæ villæ se reciperet.

Una erat toti familiæ sepultura, in quam ipsos liberos ac servos, ut pote quibus idem Lar familiaris præfuisset, admitti sæpe mos erat. Neque fas erat quemquam extra suam gentem sepeliri ².

Erat etiam sepulturæ religio ; « neque sepulcrum extra sacra inferri fas erat ³. » Præcipua verò funeris cærimonia, sicut et in omni Vestæ cultu, cæna erat. Vitâ enim functus supremi cum familiâ sacrificii supremarumque epularum particeps fieri fingebatur ; quam rem hi versus significant :

¹ Servius, ad Æn. V, 64; VI, 152; XI, 206.

² Cicer. de Legib. II, 22.

³ Cicer. ibid.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte
Sanguinis et sacri pateras ¹.

Ea autem sacra æque epulæ quoque anno a viventi parte familiæ ad defunctam rite ferebantur;

Et salsæ fruges, parcaque mica salis;
Inque mero mollita Ceres violæque solutæ...
Adde preces, positis et sua verba focus ².

Relegatis aliò corporibus imagines saltem majorum in atrio domûs positæ ³ focum servare videbantur. At animæ ipsæ defunctorum ad focum et ad Larem redire gestiebant; necesse erat terrâ et sepulcro conderentur ne repeterent domos :

Animamque sepulcro
Condimus.

Et nihilominus certis quibusdam anni diebus terram exuere tumuloque egredi et focum revisere solebant ⁴; quo quidem non poterat humana natura non terreri. Quemadmodum autem illæ de mortuis et Manibus fabulæ cum cultu Vestæ connexæ erant, ita utrumque simul ab eodem Æneâ institutum ferebant Romani ⁵.

VIII.

De jure domestico.

Ædificatâ domo junctâque intus familiâ, jam inde in hæc parvâ societate jura quædam officiaque ac leges nascuntur.

¹ Virgil. Æn. III.

² Ovid. Fast. II, 533.

³ Plinius jun. II, 7.

⁴ Ovid. fast. II, 551-566; Macrob. Saturn. I, 16.

⁵ Virgil. Æn. V, 50; Ovid. Fast. loc. cit.

Religio enim suas cuique partes, suam dignitatem, sua munera distribuit; non omnes promiscuè sacrificare sinit, sed unum quemdam foco cuique præesse jubet et præ cæteris patrem ponit. Ille in sacerdotio Laris primas habet partes; est quasi summus in suâ domo pontifex.

Princêps ille domûs venerando patris nomine appellatur. Quid verò vult illa vox quæ Jovi semper adscribitur, Neptuno et Apollini sæpe aliisque Diis, sicut et matris nomen Junoni, Cereri et Vestæ virgini? Unde illum nominis honorem homo accepit? quia filios habet, uxoremve duxit? Imo ille sæpe paterfamilias appellatur, cui neque filii sunt neque uxor. Scilicet is est paterfamilias qui, etiamsi neque sustulerit liberos neque duxerit uxorem, suæ potestatis est neque ab altero pendet: id est, qui propriam domum propriumque Larem familiamque possidet, et ipse sua sacra peragit. Religiosum est igitur illud patris nomen.

Ab illâ autem sacerdotii dignitate potestas quædam domestica oritur. Quum enim nulla lex humana ordines et gradus statuit, necesse est religio eos statuât, et iidem in re religiosâ valeant qui in re domesticâ valent. Inde summa illa patris romani auctoritas.

Neque tamen unus pater beneficio Vestæ fruitur. Uxor quidem in manum viri *coemptione* aut *usu* cadit, non *confarreatione*. Si justum sacrumque connubium fuit, si ritus in nuptiis servati sunt, farreus panis manducatus, oblata aqua, oblatus et ignis, inde matronæ nomine uxor appellatur; id est, sacra et veneranda fit, quippe quæ sacrorum fiat particeps. Inde illius in familiâ majestas quasi sacerdotalis. Fabula illa de raptu Sabinarum, quâ primum connubium significari puto, a patribus id pactum esse ferebat ne quid aliud uxoribus imperaretur quàm ut lanam nerent¹. At in nuptiis alter Caius, altera Caia nominabatur, id est,

¹ Plutarch. V. Romul. 15.

æquales ambo sicut et consortes; nec sine quâdam dignitate et superbâ viro dicebat coram pontifice nova uxor : Ubi tu Caius, ego Caia ¹. Accipiebat simul clavim quæ illam in domo multum valere significaret.

Vel filio nonnullæ erant in sacris agendis partes; erat et ipse Deæ minister. Erant igitur illi propria quædam jura. In patris quidem manu filius est; patris est filium tollere aut non tollere, id est, illum in familiam accipere aut non accipere; sed si sustulerit, si filium esse dixerit, si suum nomen illi octavo die dederit, si sacris eum admoverit, jam abhinc omnia patris erga filium officia suscepit. Neque potest cuiquam nisi filio natu primo fundum et Larem legare, neque facultatem habet heredium abalienandi aut dividendi. Non enim Lar ille familiaris duorum esse potest, neque ad alios quàm quos genitalis ordo declaravit transferri. Quem quidem morem Athenis ante Solonem viguisse accipimus a Plutarcho ²; Romæ autem si quis pater alii ac filio fundum legare vellet, id non poterat efficere nisi lege ad populum latâ, comitiis curiatis ³; quod quidem idem valebat ac si alienum illum pro filio adoptaret, jusque hereditatis illi donaret.

Vox sanguinis et naturæ ita religione confirmatur. Quum quisque in domo et ante focum quasi sacerdos sit, inde fit ut alter alterum in honore habeat, mutuaque oriatur pietas. Ita nascuntur jura et leges, sine quibus familia ipsa constare non possit.

Prima lex est ne adulterio misceatur genus et conturbentur sacrificia : quæ res a Solone capite mulctatur. Prima autem est virtus, uxoris castitas, quæ foci intemerati custos esse debet. Casta est Vesta; unde casti foci et sancti appellantur :

... quum sic a castis Vesta locuta fociis ⁴.

¹ Plutarch. Quæst. rom. 30; Quintilian. I. 7.

² Plutarch. V. Solon, 21.

³ Cicero. de Orat. I, 53; Aul. Gell. XV, 27; Ulpian. XX, 2.

⁴ Ovid. Fast. III, 698.

sic et apud Græcos ἀγροὶ ἐστίας καθροὶ ¹. Huic igitur morum tutela custodiaque creditur. Acta Veneris aversatur nec coram se fieri sinit. Nullum corpus nisi purum foco appropinquare potest ².

Quotidianus autem ille Laris familiaris cultus et intima numinis in penetrali præsentia, non possunt quin multa hominem doceant. Cave, homo, ne quid parum justī aut parum casti in domo admittas; effugere hominum oculos potes; at in domo tuā quasi in templo vivis, et Vesta adest tibi conscia, testis et vindex.

Sceleratum quemque a suis focis Vesta arcet : quo nihil efficacius fuisse pro eā ætate dixerim ad hominem a scelere avocandum. Quid enim? Publica pœna nulla est; privatam ultionem vitare potes; at tibi non jam focus est, non ara, non ignis, non aqua, non panis, non familia, non sacra, non Deus; nulla cum tuis cognatis, nulla cum ullo homine societas; hæc omnia tibi tuum scelus eripuit. Quin etiam, quum inter rudes adhuc homines difficile fuerit jus ab injuriā, concessa ab inconcessis, eadem legitimam a scelestā cæde discernere, quemlibet homicidam culpā ac repellit Vesta. Ne pro excusatione dicas tuam mentem procul a facinore fuisse, manum tantum fecisse; neve, illum quem occidisti hostem armatum fuisse; neve, etiam scelestum et multis facinoribus pollutum justas pœnas dedisse. Horum nihil refert. Tinctæ fuerunt sanguine humano tuæ manus : non tibi fas est, nisi purificato, ante focum stare aut aram contingere. Adrastus apud Herodotum, Æneas in secundo Æneidos, Theseus apud Plutarchum facinora aut involuntaria aut etiam legitima expiare debuerunt ³.

At eadem est Vesta quæ punit et absolvit; mundat corpora, purgat mentes. De quo Ovidius:

¹ Euripid. *Hercul. fur.* v, 715.

² Plutarch. *Comment.* in Hesiod. Edit. Didot, fragm. 43.

³ Herodot. I, 35; Virg. *Æn.* II, 719; Plutarch. V. *Thes.* 12.

I, pete virgineâ populus suffimen ab arâ;
Vestâ dabit; Vestâ munere purus eris ¹.

Imo ex illâ domesticâ religione plus quàm domesticæ virtutes oriuntur. Quisquis enim focum attigit, eum violare nefas est, eum colere et amare decet. Jam quasi e familiâ, e sanguine nostro est. Si quis hospes in aliquâ domo exceptus ante focum stetit cœnavitque, fit amicus, imo plus quam amicus; jam abhinc in plures ætates duæ domus junguntur, communes etiam foci sunt, sociique Penates, ut ait Virgilius. Vel infensissimus hostis hostem in suâ exceptum domo veretur; Prætus Bellerophontem occidere intra Penates non audet,

σεβάσασατο γὰρ τόγε θυμῷ ².

Antenor Ulyssem Menelaumque a morte redimit, unam ob causam quod hospites sunt ³.

Si quis autem miser, egenus, sordidusque in domum intraverit, petat focum, cineri assideat; statim non modo excipiendus et fovendus est, sed venerandus atque amandus, ut qui factus sit συνέστιος.

ἀντὶ κασιγνήτου ξείνος θ' ἐκείτης τε ⁴.

Vestam igitur non solùm nutricem hominum, non solùm domûs architectam, sed primi juris et primarum legum inventricem, castitatisque ac caritatis inter homines fontem fuisse putes :

θεῖσ' αἰεθλάας, πολυόλους, σώφρονας, ἀγνοῦς ⁵.

Vesta enim, si mundum respexeris, ordo est universus; si hominem, animus; si domum, justitia est disciplinaque et virtus.

¹ Ovid. Fast. IV, 731.

² Homer. Il. VI, 167.

³ Id. ibid, III, 203.

⁴ Id. Odyss. VIII, 546.

⁵ Orphic. hymn. LXXXIV.

IX.

De gente, de Deo gentili.

Circà focum surgere domum, convenire familiam, morum disciplinam et jura nasci jam vidimus. Hæc est quædam hominum societas, et morata quidem, sed quæ paucos amplectatur. Extra sacra enim nulla erat inter homines consuetudo, nulla caritas, nullum jus. Ita autem privata erant illa sacra ut aliquam victimæ partem nulli dare fas esset. Unde trita illa vox : Ἑστία θέεις, quam de iis dici usitatum erat qui nihil de suo alteri dabant ¹.

Exiguus nempe erat ille Deus qui uni domui invigilaret, unam regeret familiam. Mox crevit ipse, crevit et societas humana.

Cùm enim plures familiæ communem sibi fuisse originem meminissent, cognati illi homines, cognati foci aliquid fœderis inter se servaverunt et societatem composuerunt : quæ societas, quum a sanguine et genere orta esset, apud Græcos γένος, apud Romanos gens vocata est. Eandem verò populi in gentes distributionem tum Romæ viguisse constat, tum et Athenis reperire est. Erant apud Athenienses Solonis quidem ætate trecentæ et sexagiinta gentes ². Notandum quidem est multa sensim inter gentes mutata fuisse, seu bellis civilibus seu mobilitate indolis, quum præsertim Clisthenes novam populi in φυλὰς et δήμους distributionem fecit. Unde nonnihil confusi et incerti in hac re est. At inter antiquissima γένος, recentiores naucrarias et recentissimos δήμους aliquid commune fuisse conjicio, ita ut gentibus naucrariæ, naucrariis demi, allatâ forsan aliquâ perturbatione, successisse videantur.

¹ Plutarch. Proverb. Alexandr. 46.

² Aristotel. ap. Schol. ad. Plat. ed. Bekker, p. 465.

Romanos in trecentas decurias divisos esse constat ¹, quas easdem fuisse ac gentes conjicit Niebuhr². In gente plures familiæ erant, ut in Corneliâ Scipiones, Syllæ, Dolabellæ, Cossi, Lentuli, Cethegi, Arvinæ, Mammulæ, Merulæ. Athenis verò in quâque gente triginta homines seu patresfamilias adscripti erant².

Ut sua cuique familiæ, sic universæ genti sua sacra erant : ut focus domesticus, ita gentilitius focus colebatur. Pro Vestâ familiari, Vesta gentilis erat. Quod ad Athenas attinet, πατριωτικὰ ἱερά notat Stephanus³; τὰς ἱερωσύνας τὰς ἐκάστοις γένεσι προσηκούσας animadvertit Harpocratio. Imo dilucidior est Hesychius dicendo : οἱ γεννηταί, οἱ τοῦ αὐτοῦ γένους μετέχοντες καὶ ἀνωθέν ἀπ' ἀρχῆς ἔχοντες κοινὰ ἱερά. Noscitur ex Plutarcho Lycomedarum gentis Athenis τελεστήριον⁴. Apud Demosthenem verò queritur Euxitheus quòd ipsum οἱ δημοταὶ οὐκ ἔῴσι συνθύειν⁵.

Neque aliter apud Romanos fuit. Apud eos enim συγγενικά ἱερά, συγγενικὰς ἱερωσύνας sæpius memorat Dionysius, et Deos privatos gentilesque Livius. Gentilitia autem sacra statuto tempore, statuto etiam loco, quoque anno, fieri monet Cicero⁶. Perpetua esse debebat illa religio, neque illam deserere fas erat; unde illa objurgatio Ciceronis in Clodium, qui e suâ gente decesserat : « Sacra Clodiæ gentis cur intereunt, quod in te est? » Nihil erat istis sacris sanctius; nihil excusationis, si ea negligeres, erat. At sacellum ab hoste tenetur; nihil refert; Fabius per medios Gallos viam sibi fecit ut solemne gentis sacrificium perageret. At contra sacellum Romæ est, gentilis vero in exercitu procul; nihil etiam refert; Livius tribunum militum ostendit e Macedoniâ, rebus

¹ Dionys. halic. II, 7.

² Aristot. ibid.; Harpocrat.

³ Stephan. Byz. v. πάτρα.

⁴ Plutarch. V. Themist. I.

⁵ Demosthen. πρ. Εὐθουλιδῆν.

⁶ Cicero, de Arusp. resp. 15.

⁷ Cicero, pro Domo, 14.

tamen non ita prosperis, Romam redeuntem, sacrificii causâ¹. Prætozem quemdam videre est sacra illa causantem, ne in provinciam eat²; et ob eandem causam Fabius Maximus in secundo bello punico, Annibale coram, exercitum deserit et imprudenti Minucio tradit³.

Gentem igitur societatem quamdam esse hominum ad eundem focum et ad idem numen convenientium dixerim. Huic nascenti Vesta adfuit et semper præest.

Jus quoddam gentile ab eadem religione ortum est. Cuique enim genti suus erat præcipuus sacerdos; ἡγεμὼν, ait Dionysius⁴, ἐκάστην ἐκόσμη δέκαδα, δεκουρίων προσαγορευόμενος. Decuriones aut gentis principes fuisse puto tum illum Fabium qui medios Gallos trajecit ad sacrum agendum, tum Licinium illum quem e Macedonia reverti sacrificii causâ oportebat, tum Fabium quoque Maximum, pro quo nemo alius e gente sacrificare poterat.

Decurio ille quomodo Romæ electus fuerit, sorte ne an suffragiis non liquet. Imo eum fors natura ipsa et genitalis ordo designabant. Apud Athenienses, de priscis quidem temporibus nihil etiam dixerim. At multis post Clisthenem annis, Demosthenis scilicet ætate, demi princeps sorte eligebatur⁵. Hanc verò per sortem electionem pro naturæ Deique voce habitam et in omni re religiosâ usitatam fuisse Athenis videre est.

Pluribus familiis ita conjunctis, incipit amplior quædam societas. Jam necesse est aliquem esse qui rem publicam temperet, ne in multa certamina incidat illa societas. At quum nullâ aliâ re magis quam religione primitus gens juncta fuerit, hinc idem esse debuit et sacerdos et magistratus, ut de Anio dicit Virgilius :

¹ Livius XLIII, 11.

² Livius XLI, 15.

³ Polyb. III, 94; Livius, XXII, 18.

⁴ Dionys. Halic. II, 7.

⁵ Demosth. πρὸς Εὐβουλίαν.

Rex idem hominum Phœbique sacerdos.

Quod attinet ad civilem potentiam, Eubulides ille quem objurgat Demosthenes, quum sit primus sacerdos *demi*, gentiles suos de re civili convocat, convocatis præest et dat suffragia, iudicis denique ac præsidis personam agit. Apud Romanos quisquis est gentis particeps a principe gentis pendet; quem circum densâ quasi coronâ junguntur gentiles omnes, familiæ, adoptivi, clientum libertorumque et servorum catervæ. Gens Claudia quum primùm in urbem intravit, trium millium capitum erat, quibus unus præerat Attus Clausus. Vulgata res est nefas fuisse gentili gentilem in iudicium vocare; quum autem nihil unquam controversiæ apud gentiles esse non potuit, necesse fuit ut intra ipsam gentem jus aliquod fuerit, et omnia jurgia dirimendi potestas principi gentis obtigerit. Gens igitur est jam inde quædam civitas, quæ suum magistratum, suum iudicem, suas leges habet.

Nihil magis concors, nihil arctius connexum unquam fuit quam gens apud Romanos. Ferè nunquam opinionum utilitatumve discrepantiam intra gentem videris; sed semper unus animus, una utilitas inter membra hujus corporis esse videtur. Pauperioris patroni filiæ dos a gente conferebatur. Si quis e gente æs alienum contraxerat, gens omnis præes erat; sic et captivum gentilem gens redimebat; sine filio et sine testamento defuncti gens hæres erat¹. In comitiis Romanorum curiatis, non capita numerabantur, sed gentes²; id est, unum cuique genti suffragium, una voluntas erat. Imo unum esse corpus credas, quod distrahi et dividi nunquam possit. Adeo valido religionis vinculo coagmentatur: adeo unus focus et communia sacra valent!

Gentilibus omnibus unum erat nomen³. Romanus quisque,

¹ Gaius III, 17.

² Aul. Gell. XV, 27.

³ Cicer. topic. 6; Festus, v. gentilis.

modo fuerit verè ingenuus, trium nominum erat : quorum id unum præcipuè nomen dicebatur quod gentem indicabat; prænomine homo, agnomine familia declarabatur. Non ferè aliter apud Athenienses fuisse dixerim; quoties enim atheniensis in publicum adducitur et nominatur, ferè semper trium nominum est. Cimon enim, exempli causâ, sic vocatur : Κίμων ὁ Μιλτιάδου τῶν Λακκιαδῶν. Quorum primum nomen hominis proprium, secundum patris est et idem valet ac nomen familiæ, tertium demi aut gentis est.

Omnia igitur in gente communia sunt, Deus, focus, sacra, jus, nomen. Quid amplius? restat ut illa communio rerum perpetua sit et mortem effugiat. Athenis una erat genti sepultura; οἷς ἦρια πάντ'α, inquit Demosthenes, gentiles his verbis significans ¹. Romæ nefas erat sepulcrum extra gentem efferi ².

Quum ita se gens haberet, quantum præcavendum fuit ne quis fortè externus in eam subreperet, sic sibi vindicans partem sacrorum jurisque et sepulturæ. Non coli poterat ille gentilis Deus nisi a suis gentilibus. Periculum erat ne, perturbatis gentibus, miscerentur simul et contaminarentur religiones.

Is vero unus gentilis erat qui a gentili patre et legitimis nuptiis ortus erat. Omnes autem unumquemque observabant : nuptiis aderant decem apud Romanos, decem apud Athenienses testes. Imo et apud Romanos id moris erat ut nonnulli gentilium usque ad ipsum matrimonii effectum perstarent, neque prius cederent quam conjuges ipso in cubili vidissent : adeo magni momenti erat ut gens omnis de justo connubio certior esset.

E talibus nuptiis ortus filius, quum aliquantum adolevisset, a patre in gentem aut in demum ducebatur, et postquam pater filium suum esse cum jurejurando affirmavisset, in tabulis in-

¹ Demosthen. πρ. Εὐβοιωτῶν.

² Cicer. de legib. II, 22.

scribatur; et tum demum is erat qui gentilitiorum sacrorum particeps esse posset. Ex oratione Demosthenis adversus Ebulidem accipimus tabulas illas subinde examinari solitas esse, ac de cujusque nomine inter gentiles suffragium ferri, ne quis gentem et sacra fortè invasisset.

At si quis externus irrepsisset in gentem, is erga Deos impius habebatur, ut pote qui sacra non sua, Deum non suum attigisset. Demosthenes accusat Stephanum quemdam *εισαχρόντα εἰς τοὺς δημοτὰς αὐτὸν τὸν ἑὸν, καὶ ἡσεληκότα εἰς τοὺς θεοὺς* ¹. Quid autem Romæ? « colluvio scilicet gentium, perturbatio auspiciorum publicorum privatorumque, nihil sinceri, nihil incontaminati: ut, discrimine omni sublato, nec se quisquam nec suos noverit, ignoretque ejus sanguinis, quorum sacrorum sit ². »

Inde intelligitur quam ob causam tam multæ fuerint in adoptando cærimonie. Adoptio enim ea est quæ ordinem genitalem vertat et sacra mutet. Ideo res est magni momenti, et quæ non sine religionis auxilio fieri possit. Necesse erat apud Romanos auspicia sumerentur, consulerentur pontifices, populusque omnis comitiis curiatis suffragia ferret. Sic adoptato nihil jam commune erat cum gente desertâ, nihil non cum gente adoptivâ; fiebatque ille sacris, nomine atque hereditate filius ³.

X.

De phratriâ seu de curiâ.

Quò humaniores fiunt mores, quò magis se mens humana profert et animi inter se consentiunt, eò se latius extendit quasi

¹ Demosthen. *κατὰ Νεαίρας*.

² Livius, IV, 2.

³ Cicero, pro Domo, 13, 15; Valer. Maxim. VII, 7.

suâ sponte illa quam inchoari vidimus societas. Humanæ vitæ expolitiori gens non jam sufficit.

Neque ita tamen se res habuit ut gens, latiori quasi sinu facto, et externis paulatim admissis, in populum mutaretur. Imo cum familia tum gens suum tenorem servavit. Ea una fuit societati augendæ via ut gens quæque cum vicinis et finitimis quasi fædere jungeretur. Plures ita gentes in unum globum convenerunt, quem *φρατρίαν* Athenienses, curiam Romani vocavêre : *ἐτέρα τις ἐτέθη κοινωνική σύννοδος, ἣν δὴ φρατρίαν ὠνόμαζον* ¹.

Congruere autem cum phratriâ Atheniensium curiam Romanorum docemur a Dionysio quum sæpe curias *φρατρίας*, curiones verò *φρατριάρχους* appellet.

Duodecim Athenis *φρατρίας*, triginta Romæ curias fuisse constat.

Phratriæ seu curiæ cuique, sicut et genti, suus focus erat et sua diebus statutis sacrificia, Vestæ quidem dicata. 'Ο Ρώμυλος, inquit Dionysius, *ἐν ἐκάστη τῶν φρατριῶν ἰδρύσατο ἑστίαν, ἐφ' ἧς ἔθυσον οἱ φρατρίαις* ². Curiæ triginta erant, inquit Festus, ut in suâ quisque curiâ sacra faceret et ferias observaret ³. Apud Græcos sacra fuisse eûm cuique genti peculiaria tûm pluribus gentibus communia ostendit illa vox Æschinis de suo patre : *ἐστὶν ἐκ φρατρίας τὸ γένος, ἢ τῶν αὐτῶν ὁμῶν μετέχει τοῖς Ἑτεοβουτάδαις* : quibus significat patrem fuisse è phratriâ Boutadarum, in quâ et gens Eteoboutadarum erat ⁴.

Quum autem suum cuique curiæ sacellum esset, nemini externo in eo sacrificare fas erat. Ut in gentem, sic et in curiam non nisi ritè quisquam accipiebatur. Scilicet post legitimum connubium, admissum priûs in gentem filium pater in phratriam aut curiam ducebat; quod vocabatur apud Græcos *εἰσαγάγεσθαι εἰς τοὺς φράτορας*, apud Romanos *dari curiæ* ⁵.

¹ Stephan. Byz. v. *πάτρα*.

² Dionys. Halic. II, 65.

³ Festus, v. Curia.

⁴ Æschin. de Falsa Legat.

⁵ Institut. I, 10, 13.

In quaque curiâ aut phratriâ unus princeps aut præsens erat, *φρατρίων ἱερά*, aut curio magisterve curiæ appellatus. Hujus erat communia pro omnibus sacra peragere; τὰ κοινὰ ἔθουν ὑπὲρ τῶν φρατριῶν ἱερά, inquit Dionysius, qui adjicit eundem morem apud Græcos viguisse, κατὰ τὰ τῶν Ἑλλήνων ἔθνη ¹.

Quis autem erat ille Vestæ curialis cultus? Idem scilicet ac Vestæ domesticæ. Quum enim Vesta hominum nutrix haberetur, epulis ritè peractis coli debuit. Statutis diebus οἱ φράτορες aut curiales in sacellum convenire solebant, post sacrificium cœnaturi. Græcorum vox *ἐστιάω* nihil aliud primitùs significavisse videtur quàm colere Vestam. Romæ autem diebus festis, ait Dionysius, apud curialem Vestam epulabantur; in quaque enim curiâ mensam apponebant; ipsa autem cœnacula curiæ vocabantur ². Has epulas ita describit Ovidius :

Ante focos olim longis considerare scamnis
Mos erat, et mensæ credere adesse Deos;
Nunc quoque quum fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante vacunales stantque sedentque domos;
Venit in hos annos aliquid de more vetusto;
Fert missos Vestæ pura patella cibos ³.

Eadem illa apud Græcos viguisse non dubium est. Notat Pausanias τὸ ἐστιατόριον Eleorum, quod quidem prope focum Vestæ erat ⁴. Apud Athenienses aliqua saltem illarum epularum vestigia agnoscere est. Solon enim cœnationem in publico ita lege sanxisse dicitur, ne idem sæpius epulis extra ordinem accederet, neve quis vice advocatus accumbere abnueret ⁵. Unde constat tempore Solonis publicam mensam, non jam omnibus, at certè nonnullis per vicem inter curiales apponi solitam, neque

¹ Dionys. II, 64, 65.

² Id. II, 23.

³ Ovid. Fast. VI, 305.

⁴ Pausan. V, 15.

⁵ Plutarch. V. Solon. 24.

interiisse sacra, sed numero curialium aucto, quosdam ex iis pro quâque cœnâ legi solitos. Qui autem ita in publico epulabantur, dicebantur *παρῑσιτοι*; hæc vox quæ labentibus annis ignominiosa facta est, apud priscos homines sacra et religiosa fuit. Nonnihil enim sacerdotalis dignitatis in illis parasis erat quos sors designaverat ut sacris adessent. Neque huic muneri supersedere fas erat; cavebant enim Atheniensium leges ne istæ epulæ desererentur ¹. Illa autem sacra et epulæ in templo, ritu patrio et cum precibus agebantur; quid cibi ferri liceret, quâ materiâ figurâve vasa essent more certo statutum erat. « Vidi equidem, inquit Dionysius, in sacellis apponi Diis epulas super mensas antiquo more ligneas, in catinis fictilibus, panem scilicet, placentas, far et quarundam frugum primitias; vinum autem e quo libamenta fierent, non in argenteis aureisque poculis misceri, sed in testaceis calicibus; et valde homines miratus sum, qui patrios mores servant neque quidquam in antiquis religionibus mutare audeant ². »

Nempe ut in familiâ et in gente, sic in curiâ, Dei, foci, sacrorum, epularum communio erat.

XI.

De Vestâ civili; nascitur inter homines civilis societas.

Jam genus humanum, inventâ religione, constitutâ paulatim domo, familiâ, gente ac phratriâ, adhibitis cuique sacris, legibus simul et ducibus sensim creatis, statutâ quâdam obediendi pariter et imperandi disciplinâ, nullâ re carebat ut verè socialem

¹ Apud Athenæum, lib. VI, p. 234.

² Dionys. Halic. II, 23.

vitam viveret, et omnia possidebat unde justa societas constaret. Id unum supererat ut augeretur societas illa et quasi e seminibus amplior emergeret : quod utilitas mutuaque caritas, et mentis humanæ progressus postulabant.

Scilicet ea lex est in rebus humanis, ut, priusquam augeatur societas, mens crescat et communes sententiæ extendantur. Sic Vestæ notitiam crescere et ampliorem fieri oportuit.

Suum primò sibi quisque numen finxerat, aut potius suum apud se numen invenerat. Inde proprius fuerat cujusque Deus, quem nemo alteri communicare vellet. Vel inter duos conjuges duplex Genius colendus erat ¹.

Mox Lar familiaris constitit, qui supra plures Genios positus toti domui quidem consuleret, cœteras verò aversaretur, qui solis domesticis mansuetus externis infestus esset, quem denique unus paterfamiliâs coleret, imo et quasi proprium suo filio legaret.

Dein familiæ plures, utpote quæ ex unâ stirpe ortæ essent, communem quamdam inter se esse Vestam intellexerunt : hinc gentilitius focus, gentilitia sacra, gentilitiæ leges. Imo posthac gentes plures sibi esse unum eundemque Deum agnoverunt, curialemque focum, curialem mensam struxerunt.

Postremò per eandem viam sensim grassati eò venêre homines ut agnoscerent, quemadmodum unus Deus curiæ cuique consulebat, ita unum Deum curiis pluribus consulere posse.

Id autem notandum est, priscos homines, quum majorem illum Deum excogitarent, non ideo minores Deos sustulisse et oblitos esse; facilius est homini novum numen sibi facere quàm antiquum tollere. Vesta illa major non offecit Vestæ curiali, non Laribus familiaribus, non Geniis. Hi omnes mansêre et duravêre. Audi Prudentium de Vestâ illâ diffusâ, quam Genium vocat, loquentem :

¹ Censorin. de Dio Nat. 3.

Cur Genium Romæ mihi fingitis unum,
Quum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos Genios, perque omnia membra
Urbis, perque locos Geniorum millia multa
Fingere, ne propriâ vacet angulus ullus ab umbrâ¹?

Non ergo sublatae sunt curiarum, gentium, familiarum aræ; at
privatis Diis adoratores suos retinentibus, communis quoque
Deus adoratus est, et commune ædificatum templum.

‘Ο Νομῆς, inquit Dionysius, τὰς μὲν ἰδίας οὐκ ἐκίνησε τῶν φρατριῶν
ἑστίας, κοινὴν δὲ κατεστήσατο πασῶν μίαν². Alibi etiam de triginta
Romanorum curiis locutus adjicit : ἦν δὲ τις καὶ ἑστία κοινὴ τῶν
φρατριῶν³.

Sic et apud Græcos in urbe quâque ἑστίαν κοινὴν fuisse memorat
Aristoteles⁴.

De societate augendâ item fuit, hominibus inchoatam viam
pergentibus. Familiæ, gentes et curiæ manserunt, cum suo
quæque tenore, cum suis legibus. Neque quidquam immuta-
tum est curiis, quippe quæ nimis arctè et stabiliter jungerentur;
non externi in eas admissi, non curiæ mistæ sunt, quum ita
deleta fuisset aut conturbata religio. Sed curiæ plures, communi
exstructo foco, societatem inter se conflaverunt.

Inde novus sacrificiorum ordo, novum et inter homines vin-
culum fuit. Sacra enim in propriâ cujusque domo, sacra in
sacello gentis, sacra in curiâ, sacra etiam publica pro populo
fieri solita sunt. Sic unusquisque hominum fuit paterfamilias,
gentilis, curialis ac civis; hinc quatuor nomina habuit. Hâc viâ
pedetentim ad civitatem usque progressos fuisse homines veri-
simile est.

¹ Prudent. adv. Symmach. II, 444.

² Dionys. Halic. II, 66.

³ Id. II, 23.

⁴ Aristotel. Politic. VI, 5.

XII.

Urbs conditur.

Quum urbs esset civitatis domicilium, ideo illi nonnihil sacri et religiosi inerat. Non homini cuilibet fas erat condere urbem; neque satis erat homines et domos coacervari ut vera urbs constaret. Nihil illis veterum urbibus cum nostris commune erat. Apud nos quidem, ædificatâ primùm in quolibet loco unâ domo, mox adjunctis pluribus, è domo fit viculus, è vico pagus, è pago urbs. Apud veteres autem neque fortuna, neque tempus, neque hominum voluntas urbi condendæ sufficiebat; si quis urbem conderet, magnum opus et religiosum erat.

Civitas priùs existeret quàm urbs conderetur necesse erat, id est, publica religio publicusque focus priùs essent, quàm de urbe condendâ homines cogitarent : quod ostendit Virgilius dicens :

Date civibus urbem. —

Nulla urbs enim esse poterat sine foco publico; οὔτε γάρ, ait Dionysius, οὐδέν ἐστιν ἀναγκαιότερον ἀνθρώποις τῆς κοινῆς ἐστίας¹. « Vestæ foci, inquit Augustinus, sine quibus civitas esse non potest². » Obeam causam Plato, veterum religionum haud immemor, conditorem urbis docet primum templum Ἑστίας dicandum esse, secundum Δία, tertium Ἀθηνᾶ³.

Neque autem quum jam exstructæ et agglomeratæ essent omnes urbis domus, tum demum focum publicum ponere oportebat. Imo nullum ante tectum ædificari fas erat quàm publicus

¹ Dionys. II, 65.

² Augustin. Civit. D. IV, 10.

³ Plato, de Legib. V, p. 748; VIII, p. 848.

ille focus statueretur, πόλεως οἰκισμένης, ἐστὶαν πρῶτον εἶδει ιδρυθῆναι¹.

Non Romam putaverim aliter ac cæteras urbes fuisse conditam, sed solemnium illius ortûs cærimoniarum diutius homines meminisse : quas Plutarchus Ovidiusque nobis tradiderunt².

Ad id primum animum intendit conditor ut locum novæ urbi eligeret, designaretque nomen, quorum neutrum sine voluntate Deorum auspiciisque fieri poterat. Hanc electionis auspicio-
rumque necessitatem posterî significaverunt, quum Romulum Remumque finxere inter se disceptantes uter nomen daret urbi, et utrûm in Aventino an in Palatio conderetur.

Loco verò ac nomine statutis, εὐθρός, ait Plutarchus, ὥρῳ κυκλωτέρῃς, ἀπαρχαὶ δὲ πάντων ὅσοις νόμῳ μὲν ὡς καλοῖς, φύσει δὲ ὡς ἀναγκαίοις ἐχρῶντο, ἀπετέθησαν ἐνταῦθα. Id est, fossâ in circulum ductâ, in eam primitias omnium rerum jaciebant quas religio bonas, natura necessarias ad humanos usus contulerat, frugum scilicet quæ, ut hominibus erant usui, sic Vestæ sacræ erant. Idem et Ovidius :

Fossa fit ad solidum; fruges jaciuntur in imâ.

Fossam vero *mundum* vocabant, quo nomine aliquid sacri et benè ordinati veteres designavisse videntur. Super hunc mundum Vestæ stat ara :

Fossa repletur humo, plenæque imponitur ara,

Et novus accenso fungitur igne focus.

Hic est quasi umbilicus civitatis, et locus vocatur comitium, ubi quidquid ad publicam religionem spectabit, agetur.

Mox ambitus urbis describitur : εἶτα ὥσπερ κύκλον κέντρον περιέγραψαν τὴν πόλιν. Ille autem ambitus (non murum dico, non vallum) cum certis cærimoniis designatus, sacer erat. Conditor enim vomere aratri æneo usus, junctisque bobus mare et feminâ,

¹ Dionys. loc. cit.

² Plutarch. V. Romuli; Ovid. Fast. IV.

ducebat ipse rectum in lineamentis certis sulcum; quod cum Plutarcho Ovidius quoque indicat :

Inde premens sativam designat mœnia sulco;

Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

Sequuntur autem qui summotas vomere glebas et quasi jam inde sacras intra sulcum rejiciant, ne quid sacri ultra jaceat. Hoc est quod vocant pomœrium, urbani scilicet auspicii terminus¹, et sacer urbis circuitus, cui mox mœnia inscribuntur. Sulcum verò illum, utpote qui rite ductus fuerit, nemo non pro sacro habere, nemo violare transiliendo audet, nisi sit externus, Diisque patriis alienus. Quod quum fecisset Remus, impii, ut credo equidem, hostilisque facinoris pœnas morte dedit. Ita sanctus erat ille sulcus, ut subinde portaretur aratrum, ne ingredi aut exire non possent ipsi cives, portæque ita designarentur.

His omnibus cærimoniis Dii aderant, ii scilicet quos Virgilius vocat auspices cœptorum operum. Invocabantur autem, quod ad Romam certè attinet, cum Vestâ Jupiter et Mars :

Vox fuit hæc regis : condenti Jupiter urbem

Et genitor Mavors, Vestaque mater ades.

Pomœrium autem illud et sancta mœnia hostem quasi amovebant et a Vestâ defendebantur. Fama erat enim, quum Urbs in eo esset ut caperetur a Gallis, exauditam vocem esse a delubro Vestæ, ut muri et portæ reficerentur; futurum esse enim, nisi provisum esset, ut Roma caperetur².

Jam rite peractis mundoque et pomœrio, jam positâ arâ publicâ, urbs constat; id unum superest ut domus ædificentur. Neque id fit sine certo quodam ordine. Quum *mundus* ille urbis pœne in medio positus sit, idem locus publicis rebus et populo omni reservatur; hîc surgit delubrum Vestæ, hîc situm est comitium, hîc

¹ Aul. Gell. XIII, 14.

² Cicer. de Divinat. I, 45.

forum; hic comitia curiata sunt; ibidem publica sacra et publica suffragia aguntur; quæ autem via eò tendit sacra vocatur a Romanis.

Omnes autem urbes, neque Romam tantum, iis cum ritibus et religionibus conditas fuisse indicat Plutarchus¹.

Dies quâ urbs condita fuerat, scilicet quâ positus fuerat publicus focus, sacra erat in perpetuum, et quoque anno solemniter celebrabatur : utpote quæ urbis esset *dies natalis*.

At qui focum publicum posuerat et pomerium designaverat, is conditor urbis appellabatur aut *κτιστης*. Hujus auspiciis religio civitasque et futura fortuna urbis inchoabantur. Utpote qui rem tam sanctam peregisset, illi nonnihil sancti jam abhinc inerat. Neque facile positorem aræ ab ipsâ arâ ipsoque numine discernabant homines. Is igitur pro Deo habitus est; conditori cuique in suâ urbe honores et sacra fuere. Non peculiare fuit Romulo ut inter Deos adscriberetur; nulla ferè urbs conditorem suum pro Deo non coluit. Miltiadæ sacrificavisse solemniter Chersonnesitas dicit Herodotus, « ut conditori æquum est », in honoremque ejus ludos equestres gymnicosque instituisse². Haud aliter Æneas, quum Lavinium condidisset, colebatur ab ipsis Lavinienis, Albanisque et Romanis Lavinio ortis :

Hunc turba Quirini

Nuncupat Indigetem, temploque arisque recepit³.

Hæc sacra interire nefas erat : idem enim Æneas urbem Æneam in Thraciâ condidisse dicebatur; longis post annis traducti Æneatæ Thessalonicam a Cassandro morem nihilominus servaverunt; quotannis nempe proficiscebantur Thessalonicâ Æneam ad statum sacrificium conditori peragendum⁴.

¹ Plutarch. Quæst. rom. 27.

² Herodot. VI, 38.

³ Ovid. Metam. XIV, 607.

⁴ Livius XL, 4.

Quum autem suum quæque urbs conditorem veneraretur et cum jactatione prædicaret, multæ apud Græcos fabulæ, multæ historiæ, poemata multa ex illo fonte fluxerunt. Suum urbs quæque quasi patrem commentis decoravit, nihilque urbi dulcius fuit quam ut carminibus caneretur. Inde fit ut tot scriptores et poetæ κτίσεις πόλεων scriberent canerentve. Noscere est Hermogenis Smyrnæi νήσων κτίσεις, Philochori κτίσιν Salaminis, Ionis κτίσιν Chii. Apollonius Rhodius conditam Lesbum, Cnidum, Caunos, Alexandriam, Naukratitas in pluribus poematibus cecinerat. Syracusarum κτίσιν Criton quidam, Mileti Zopyrus, Ioniae Cadmus scripserat; Hellanicusque et Diocles Peparethius κτίσεις urbium celebraverant. Adeo grata res urbibus erat, si quis gloriam conditoris memoriæ posteritatis mandaret.

Has inter κτίσεις Æneida ponere ausim. Æneas enim fuerat ante Romulum primus positor foci et conditor civitatis Romanorum; quamobrem canit poeta, ut qui verè Romanus sit, quidquid ille et terris et alto passus fuerit

Dum conderet urbem
Inferretque Deos Latio.

Inde illa Æneæ indoles quam ita multi reprehendere audent. Is est enim conditor urbis, id est, positor foci publici, auctor religionum, Vestæ ab Asia in Italiam translator, sacerdos scilicet, et, ut dicit Ovidius, penatiger. Ne requiras in eo Achillem quemdam iracundum aut duplicem Ulyssem. Illius facta moresque sacerdotis esse debent; non potuit eum aliter effingere poeta quam Insignem pietate virum, aut pium Æneam. At nos in eo qui primas poematis partes agit magnas cupiditates et audaces impetus desideramus; non is erat conditor urbis qui talis nobis ostendi posset; huic nulla cupiditas, nullus impetus, nullus verè amor; hunc nihil lædit, nihil movet. Eum frustra increpat Dido : immota nempe lumina tenet;

Nullis ille movetur

Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit;

Fata obstant, placidasque viri Deus obstruit aures.

Ille enim Penates portat. Eo die quo Troja ruit, Æneæ in somnis adfuit Hector dicens :

Sacra suosque tibi commendat Troja Penates;

Hos cape fatorum comites, his mœnia quære.

Id verò somnium cave ne pro adventitiâ quâdam fabulâ quam poeta ad ornatum quæsierit, habeas; imo nihil est in toto poemate quod plus momenti habeat; in eo somnio versatur omnis Æneis; inde fit enim ut non sine Diis fugiat Æneas, non sine Diis tendat in Italiam; fertur in altum.

Cum sociis natoque Penatibus et magnis Dis.

Non trojana civitas periit; urbs periit tantùm. Urbs incensa direptaque fuit a Græcis; civitas est ubi est Æneas, et incolumis quidem; nam ibi sunt Penates;

Ilium in Italiam fertur.

Nunc urbs et domicilium civitati exsulanti quæritur; ea nunc res est ut statuatur illa Vesta ponaturque focus :

His mœnia quære,

Magna pererrato statues quæ denique ponto.

Non autem humanum est locum eligere; Dii ipsi eligant necesse est ac designent; Dii sunt duces :

Italiam non sponte sequor.

Quæ via tenenda sit, Dii jubent multisque oraculis indicant. Non tendit Æneas, sed fertur. Hunc Penates ducunt :

Nos te, Dardaniâ incensâ, tuaque arma secuti,

Nos tumidum sub te permensi navibus æquor....

Mutandæ sedes....

Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt;

quasi Penatium sit scire certò ubi potissimum sistere debeant. In

his verò Penatibus tota versatur civitas. Non Æneas præcipua est poematis persona, Penates sunt. Iis animum intendebat romanus quisquis legebat Æneida; eos amabat, pro iis timebat, neque quidquam romanum civem magis movere poterat quàm illi Dii sensim ad propositum suum, rupto quoque obstaculo, grassantes, Dii scilicet sine quibus romanus nemo existeret. Ii sunt populus, ii civitas, ii Roma, ii imperium; unde dicere possunt :

Venturos tollemus in astra nepotes
Imperiumque urbi dabimus.

XIII.

De foco publico urbium.

Vesta igitur hominum societates junxit et nascentibus urbibus adfuit. Unde illam præcipuè civitates colunt. Inter tam multa tamque clara Romanorum templa, nihil erat antiquius, nihil sanctius quàm delubrum Vestæ.

Nihil fuisse antiquius dixerim; ignorabant enim uter illud ædificavisset, Romulusne an Numa. Romulum nempè non potuisse urbem sine Vestâ condere contendebant; Vestæ autem delubrum, quum esset extra Palatium, non potuisse a Romulo ædificari, qui Palatium tantùm habitavisset[†]. Ex quo conjicere ausim duo vicissim Vestæ delubra fuisse, alterum a Romulo in Palatio exstructum, alterum a Numâ in intermontio. Quum autem nefas esset delubrum Vestæ sedem mutare, nisi si nova urbs conderetur, crediderim multas rerum commutationes a secundo illo quod vocant regno exortas, et novam urbem forsan conditam fuisse. Quidquid id est, Vestam nascenti urbi æqualem fuisse ex hac ipsâ contentione manifestum est.

[†] Dionys. Halic. II, 65.

Nihil verò sanctius. Etenim non nisi a virginibus iisdemque patriciis colebatur. Ex honoribus autem sacerdotum nosce quantum venerarentur ipsum numen. Præ summis magistratibus, præ illustrissimis in civitate viris observabantur virgines vestales. Illis si quis consul dictatorve occurreret, fascēs submittebat ¹. Si quis autem homo damnatus, dum ad supplicium duceretur, Vestalem obviam haberet, pœnā liberabatur ². Una ex illis virginibus, toto senatu potentior, ire contra intercedentem tribunum valebat; neque potuit e curru detrahi Claudius ille quem filia Vestalis injussu populi triumphantem amplexum tenebat ³.

Vesta enim præsēs et custos urbis habebatur. Ex illā futura Romanorum fata pendebant; illa urbem fore æternam æternumque imperium pollicebatur ⁴. At si quando exstingueretur ignis, quasi Dea ipsa evanisset et urbem destituisset, nihil non calamitatis timebatur, et omnia pavore ac trepidatione plena erant. Imperium, imo salutem Roma desperabat, et fatorum urbis in discrimen adductorum crudeles pœnas a nocenti Vestali exigebat.

Nulla erat urbium græcarum quæ non æquē ac Romani Vestam coleret; iidem erant ritus, eadem ferè erga sacerdotes veneratio, eadem et Vestalium sanctitas, præterquam quòd non virgines, at viduæ foco publico admovebantur. In omnibus urbibus focus publicus erat, in eo positus loco quod Prytaneum vocabant.

Prytaneum fuisse verè templum docet Dionysius dicens : τὴ καλούμενα πρυτανεῖα παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἱερὰ ⁵. Vestam autem ibi aut unicè aut præcipuè adoratam fuisse ex his constat : Eleorum scilicet prytaneum notat Pausanias in quo ἦν καὶ ἡ Ἑστία, ignem vero ibi diu noctuque accensum servari ⁶. In prytaneo autem Athe-

¹ Senec. Controv. I, 2; VI, 7.

² Plutarch. V. Numæ, 10.

³ Cicer. pro Cœlio, 14; Sueton. Tib. 2.

⁴ Livius, V, 52; XXVI, 27.

⁵ Dionys. II, 65.

⁶ Pausan. V, 15.

niensium Vestæ simulacrum vidit. At scholiastes Thucydidis : τὸ πρυτανεῖον, inquit, πυρὸς ἦν ταμειῖον, καὶ ἦν ἄσβεστον πῦρ καὶ ἡύχοντο¹. Vocat autem sic Pindarus Vestam : παῖ Πέας, ὅτε πρυτανεῖα λέλογχας, ἔστι²; quod ita confirmat scholiastes : πρυτανεῖα φησι λαχεῖν τὴν ἔστιαν, παρόσον αἱ τῶν πόλεων ἐστίαι ἐν τοῖς πρυτανεῖοις ἀπιδρυνται. Æschylus θυμὸν ἐστίαν πόλεως dicit³; et Dionysius : ἡ πρυτανεῖα, ἔστι⁴ κοινὴ τῶν φρατριῶν⁴. Prytaneum igitur a Livio vocari potuit *penetrabile urbis*⁵.

Quidquid autem cultûs et cærimoniarum in curiis phratriisque vidimus, sic et in foco publico usitatum fuit. Vesta enim eadem est quæ domui, genti, curiæ, civitati præest, neque fieri potest ut dissimili modo in omnibus illis focis colatur.

Præcipuus scilicet illius religionis ritus in eo semper constat ut, precibus peractis, primitiisque rerum Deo oblatis, unâ homines epulentur. Hunc morem antiquitûs in prytaneis omnibus viguisse verisimile est, et apud priscos Italos invenimus; videas apud Virgilium regis Latini curiam :

Urbe fuit summâ Laurentis regia Pici,
Horrendum silvis et religione parentum...
... hoc illis curia templum,
Hæc sacris sedes epulis; hûc ariete cæso
Perpetuis soliti patres considerare mensis⁶.

Item et in priscâ illâ Evandri Româ; quum Æneas in curiam intravit, dies festa solemnisque aderat;

Interea sacra hæc, quando hûc venistis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, et jam nunc sociorum assuescite mensis⁷...

¹ Scholiast. ad Thucyd. II, 15.

² Pindar. Nemea, II.

³ Æschyl. Supplic. v. 373.

⁴ Dionys. Halic. II, 23.

⁵ Livius XLI, 20.

⁶ Virgil. Æn. VII, 170.

⁷ Virgil. Æn. VIII, 172, 195.

Neque facilè putem apud Lacedæmonios Lycurgum adeò valuisse ut suà unius voluntate Spartanos unà cœnare cogeret, nisi id jam prisce moris fuisset. Scilicet quemadmodum paterfamilias uxorque et filius in domo, gentiles deinde et curiales in curiis ad cœnandum rite conveniebant, ita cives in commune sacrificium communesque epulas, diebus saltem festis, coire lex erat.

Civitatribus verò auctis, non jam omnibus civibus mensæ apponi potuerunt. At ne illa religio obsoleret, placuit nonnullos saltem cives, qui totius populi quasi personam agerent, unà in prytaneo sacrificare et epulari : quos vocabant Athenienses *πρυτάνες*. Simul cum iis cœnabat quicumque de patriâ bene meritus in magno honore habebatur. Cœnabant et externarum gentium legati, quippe quos civitas publico hospitio secum jungi vellet.

Cœnare unà prytanas Atheniensium a Demosthene accipimus. Sic et apud suos Chæronæos unà cœnare magistratus affirmat Plutarchus. Erat autem in prytaneis haud procul ab æde Vestæ cœnaculum quoddam quod vocabant Græci *ἐστιατόριον* ¹.

Vel quum Græci ferè obliti sunt quid significaret Vesta, cærimoniæ ac ritus, ut fit, permanserunt; vigente autem illo publicarum epularum more, cætera paulatim in memoriâ hominum desiderunt : inde fit ut Græci scriptores posteriores prytaneum illud non jam pro sanctissimo omnium templo, sed pro cœnaculo tantùm habuerint; *πρυτανεῖον*, inquit scholiastes Thucydidis, *ἐστὶν οἶκος μέγας, ἐνθα αἱ σιτήσεις ἐδίδοντο πολιταῖς*.

Adeò autem religiosum erat in publico cœnare, ut cœnam illam precibus et libamentis auspicarentur concluderentque, id est, nihil priùs ederent quàm Deæ sacrum fecissent. A Pausaniâ accipimus id moris fuisse ut hymnos inter libandum decantarent ². Imo cœnam ejusmodi in prytaneo Naucratarum actam

¹ Demosth. pro Coron. 53; Plutarch. V. Marcelli, I; Pausan. V, 15.

² Pausan. ibid.

memorat Athenæus; quæ civitas quò longiùs a matre Græciâ remota inter barbaros jacebat, eò fidelius majorum mores servavit. Convivæ scilicet candidis induti vestibus, quas *πρυτανικὰς* vocant, postquam paululum accubuerunt, surgentes rursus in genua procumbunt, precesque quas patrio more sacerdos pronuntiat cum libamentis recantant. Quæ autem fercula apponi fas sit, lege antiquâ et religione statutum est : duo scilicet cuique cotylas vini, panem unum purum et eundem certæ cujusdam figuræ, alterum quoque panem quem furnaceum vocant, aliquid et porcine carnis olerisque, duoque ova, ficos aridas et coronam. Duplicem quidem omnium rerum portionem sacerdotes sortiuntur. At si quis alia quælibet fercula paravit, magistratibus pœnas dat. Neque etiam convivis licet quidquam e domo secum afferre. Feminis in prytaneum intrare nefas est, exceptâ unâ tibicine; iis enim epulis aliquid musices accedere religio jubet. Aliquid verò obsceni in prytaneum introducere impia res est¹.

Procul dubio est leges illas antiquitus in omnibus prytaneorum epulis esse observatas, dein multum remissum esse e severis illis moribus, hominesque ferè semper ab istâ disciplinâ descivisse; at diebus saltem festis Vestæ Prytanitis et Apollinis Comæi, priscos illos mores viguisse constat. Imo et aliquid eorumdem morum ex religione in privatas epulas transiisse verisimile est; inde coronæ, libamenta; inde et admissa tibicen et recitati cantus : quæ omnia forsân non e luxu posteriorum ætatum, sed e veterum religione orta sunt.

Neque apud Romanos obsolevit mos ille publicarum epularum, diebus saltem festis. Tunc, sacrificiis peractis, ludi agebantur, res nempe sacra, et mensæ non omni, ut credo, plebi, sed delectis viris apponebantur². His epulis diu pontifices ipsi, ut rei

¹ Athenæus, lib. IV, cap. 32.

² Livius XL, 59.

religiosæ, præfuerunt; dein ad eas curandas sacerdotes quidam creati sunt, quos epulones vocavere ¹.

XIV.

De jure publico.

Omnia igitur in civitate sacra, omnia in urbe religionum plena esse vidimus. Hanc, ut ait Livius, Diique hominesque simul tenent atque habitant; cum hæc simul positæ religiones traditæque per manus. Tota a Diis pendet hominum illa societas. Cives non ii sunt qui fortunâ quâdam juncti, quasi grege facto, convenerint, sed qui commune inter se numen colant et eundem Deum adire soleant. Civitas est quædam, ut nos vocamus, ecclesia; urbs templum; leges verò et jura religio; duces sacerdotes.

Ex illo enim religionis fonte omnes leges manaverunt; quemadmodum e foco privato jus domesticum, ita e foco publico jus civile fluxit. Deorum nempe nomen et auctoritatem prisci legum latores sibi vindicaverunt, tum Minos ille qui Jovis consiliis intimus fuisse ab Homero dicitur, tum apud Romanos Numa qui leges a Deâ Egeriâ accepisse fertur. Non inanem vocem profert Cicero quum divinitus inventa esse jura dicit ². Græci verò νόμον vocabant quod in religione pariter et in civitate valeret; neque lex apud priscos homines res civilis erat aut politica, sed verè religiosa.

Inde Zaleucus leges suas ita auspicari potuit: « Sit hoc a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, eaque quæ gerantur eorum geri vi ac nu-

¹ Cic. de Orat. III, 49; Livius, XXXIII, 42.

² Cic. pro Domo suâ, I.

mine, eosdemque optimè de genere humano mereri, et qualis quisque sit, quid agat, quâ mente, quâ pietate colat religiones, intueri, piorumque et impiorum habere rationem¹. » Non putabant nempe prisce illi homines proponendum esse ante omnia hominibus quæ sint eorum seu officia, seu jura, et ab hoc principio magnam auctoritatem legibus posse oriri. At quæ religio homines in civitatem convocaverat, eadem illos in eâ retinere ac regere posse sola videbatur.

Apud Romanos decemviri non de re civili tantum sed de religione quoque leges sanxerunt, edixeruntque ante omnia hominibus ut « Deos adirent castè, pietatem adhiberent, delubra patrum Larumque sedes colerent, ritus familiæ servarent². » Sic et Athenis Solon de religione et de sacris leges tulit, non de jure civili tantum³. Adeo jus civile cum religione arctè connexum erat, neque alterum ab alterâ distrahi poterat.

Inde intelligere est illam Ciceronis sententiam : Pontificem neminem bonum esse, nisi qui jus civile nòsset⁴. Pontificum enim sub potestate ferè omnia erant, quippe qui religiones publicas regerent, privatis invigilarent. Si quis testamentum scribere vellet, si quis adoptare, si quis mancipare, ea res ad sacra pertinebat ; jus nubendi, jus possidendi, jus emendi religio erat ; hæc omnia penes pontifices erant.

Atheniensibus mos erat leges in prytaneo deponere, et quasi Vestæ publicæ mandare⁵.

Apud Romanos verò si quid senatui placuisset, senatusconsultum dicebatur ; si quid populo tributim convocato, plebiscitum. Ea demum lex erat, quam comitia curiata rite et auspiciato tu-

¹ Cicer. de Legib. II, 7.

² Id, ibid, II. 8.

³ Plutarch. V. Solon. 33.

⁴ Cicer. de Leg. II, 19.

⁵ Aristotel. fragm. ed. Didot, t. II, p. 109.

lerant ¹. Sola enim hæc vera et justa comitia habebantur, quippe quæ veterem et sacram populi in curias distributionem referrent.

Hinc illa singularis veterum erga leges veneratio; non eam nempe legem putabant, ut nos, quam unius voluntas aut plurium suffragia tulerant; leges non erant quædam hominum pacta, quæ alii homines, imo et iidem alio pacto evertere possent, sed quasi Numinis effata adversus quæ nulla ratio, nulla potestas valeret, et de quibus evertendis ne cogitare quidem fas esset. Ea autem erga leges veneratio diu apud Græcos, diutius apud Romanos, apud utrosque tamdiu quamdiu religio vixit, perstitit.

Quum autem necesse sit omnis societas, qualiscunque sit, non leges et jura tantum, sed duces quoque habeat, unde noscere potuerunt homines sibi duces creare et creatis parere (quod omnibus quidem hominibus naturâ difficillimum, Græcorum verò mobilitati Romanorumque superbiam nimis alienum erat), nisi vis quædam potentior animos eò duxisset? Id quoque veteres docuit Vestæ cultus. Religio enim ipsa summum cuique foco sacerdotem præesse jubebat, privato scilicet patremfamilias, curiali curionem, sic et publico pontificem.

In urbibus Græcorum foco communi, id est prytaneo, adjacebat ædes quædam : βασιλειον vocabant; τὴν στοὴν τῆν βασιλειον Athenis sæpe memorant Aristoteles et Pollux ², in quâ sacrificia pro populo agebantur. Sic et Romæ prope delubrum Vestæ *regia* erat, ut notat Ovidius :

Hic focus est Vestæ, qui Pallada servat et ignem;

Hic fuit antiqui regia parva Numæ ³.

At Horatius :

Ire dejectum monumenta regis

Templaque Vestæ ⁴.

¹ Livius, VI, 42.

² Aristotel. ibid; Pollux, VIII, 85.

³ Ovid. Trist. III, 1, 29; cf. Tacit. Annal. III, 41.

⁴ Horat. Carm. I, 2.

Neque crediderim hoc Horatii versu sepulcrum Numæ, ut multi dicitant, significari. De illâ æde agitur quam *regiam* vocabant. Appianus in secundo bellorum civilium libro narrat in foro ἐνθα τὸ πάλαι Ῥωμαίοις ἐστὶ βασιλείον concrematum fuisse corpus Cæsaris; quem locum falsò ab interpretibus intellectum puto.

Illa autem regia, non habitatio, non domicilium quoddam erat, neque pro palatio quodam regum habenda est; at in eâ sacra patria agebantur. Non in regiâ Numa, sed in monte Quirinali habitabat; in regiâ autem sacra peragebat ¹.

Qui in regiâ pro populo sacrificabat, et foco communi præerat, is regio nomine appellabatur; eundem et πρύτανιν à Prytaneo Græci vocabant. De quo audire est Aristotelem : τὰς θυσίας τὰς κοινὰς ἀποδίδωσιν ὁ νόμος τοῖς ἀπὸ τῆς κοινῆς ἐστίας ἔχουσι τὴν τιμὴν, καλοῦσι δ' αὐτοὺς οἱ μὲν ἄρχοντας, οἱ δὲ βασιλεῖς, οἱ δὲ πρυτάνεις ². Quum autem dignitatem a foco publico tenerent, inde constat illos fuisse præcipuè sacerdotes. Idem auctor dicit τὸν βασιλέα κύριον εἶναι τῶν θυσιῶν ³. Apud Æschylum verò Supplices his verbis regem Argivorum precantur :

σύ τοι πόλις, σὺ δὲ τὸ δῆμιον,
πρύτανις ἄκριτος ὦν,
κρατύνεις θωμὸν ἐστίαν χθονός ⁴.

His versibus manifestè apparet priscos Græcorum reges verè sacerdotes fuisse; Supplices enim, quum maximè omnium venerabile nomen quærant, πρύτανιν appellant; præcipuumque ejus munus invocant, quod foco communi præsit. Dixere primùm : Civitas es et populus; nec satis est, nisi adjiciant quod majorem vim habeat : prytanis es, et Vestæ cultûs præses.

Quo verò pacto rex ille a primis civitatibus eligi potuit? Parum

¹ Plutarch. V. Numæ, 14.

² Aristotel. Polit., VII, 5.

³ Id, ibid, III, 9.

⁴ Æschyl. Supplic., v. 371.

ad id sacerdotium valebant suffragia hominum, minus etiam vis et fraus. Ille primus rex in civitate vocatus est, qui focum communem statuerat, civitatem composuerat, et condiderat urbem. Quid justius enim et sanctius esse potuit quàm eundem Vestæ illius publicæ positorem et postea sacerdotem esse? Quum fundatæ sunt in Ioniâ Græcorum coloniæ ab exsulibus omnium Græciæ regionum, regia dignitas non ducibus cujusque gentis obtigit, sed Atheniensibus solis qui e prytaneo Athenarum profecti sacrum ignem secum avexissent, et nova prytanea novosque focos condere valuissent ¹.

Sic religio ipsa homines docuit duces creare et vereri : quod equidem nascentibus civitatibus gratulor; ita enim elusum est hominum illud certamen tam acriter de imperio et de libertate pugnantium; quod vel adultas et validas civitates interdum eruit, nascentibus quantò funestius fuisset! Feliciter religione statutum fuit, quod ratione humanâ nondum statui poterat.

Magna fuit hominum erga duces illos veneratio, cùm crederent regium munus à Diis ortum esse; inde illi Homeri versus :

σκηπτούχος βασιλεύς, ὃτε Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν....

τιμὴ δ' ἐκ Διὸς ἐστί. φιλαὶ δὲ ἐμνηστία Ζεὺς.... ².

Reges autem illos apud Homerum sacrificia semper pro populo agere, ac ferè sæpius sacerdotale quàm regale munus præ se ferre videmus. De Romanis regibus non aliter fuit : Romulus lituo augurali, ut sacerdos, utebatur ³. Numa ipse plurima sacra obibat, et ob id unum sacerdotes creati sunt ut, si quando rex ad bellum gerendum abesset, regio munere fungerentur, neve sacra regiæ vicis desererentur ⁴. Ab iisdem regibus eligebantur Vestales, quibus ignis alendi curam delegarent ⁵. Item et apud

¹ Herodot. lib. I.

² Homer. II. I, 279; II. II, 196.

³ Plutarch. V. Romuli.

⁴ Livius, I, 20.

⁵ Dionys. Halic., I. 76; II, 67.

Spartanos, qui omnium Græcorum diutissimè majorum instituta servaverunt, reges publicarum religionum curam suscipiebant¹.

De prisceis autem Atheniensium regibus audi Demosthenem :

τὸ γὰρ πάλαι, inquit, δυναστεία ἦν ἐν τῇ πόλει, καὶ ἡ βασιλεία τῶν αἰὶ
ὑπερεχόντων διὰ τὸ αὐτόχθονας εἶναι, τὰς δὲ θυσίας ἀπάσας ἔθνε².

Omnia inter se cohærent. Paterfamilias, quum sacerdos sit Laris familiaris, in domo omnium rerum dominus est; patronus in gente non sacris tantum, sed juri dicendo quoque et rei civili præest. Ita et in civitate res se habuit. Quum enim illo Vestæ cultu juncta fuisset civitas, et nulla esset alia auctoritas, nulla alia lex, necesse fuit ut idem ille qui primas in sacerdotio partes agebat, primum quoque in re politicâ locum teneret, manaret que e prytaneo quidquid esse poterat imperii. Sic naturâ ipsâ duce, sacerdotio regis et curæ sacrorum id quoque accessit ut jus diceret inter cives, quæ pœnè religiosa res est. Mox et leges ferendi facultas, ut sacerdoti et Deorum conscio, ei obtigit, ita tamen ut curiæ et gentes consulerentur. Quum autem ne bellum quidem sine auspiciis sacrisque fieret, rex exercitui imperare debuit. Ita factum est ut sacerdotio regum justitiæ militiæque potestas accederet. Triplicem eam regibus potestatem fuisse memorat Aristoteles dicens : ὁ βασιλεὺς κύριος ἦν τῆς δίκης, καὶ τῶν θυσιῶν, καὶ τῆς κατὰ πόλεμον ἡγεμονίας³.

Neque tamen illa justitiæ imperiique accessio semper mansit. Quum enim in summo illo dignitatis et potentiæ gradu modum servare vix possent homines, mox evenit ut superbè et iniquè reges dominarentur. Quod ægrè ferentes, non populares magis quàm ipsi optimates ad recipienda sua jura et libertatem vindicandam conjuraverunt.

Duarum verò rerum pariter memores, scilicet legitimum esse

¹ Aristotel. Polit. III, 9.

² Demosth. κατὰ Νεαίρας.

³ Aristotel. loc. cit.

et sacrosanctum regum sacerdotium, cœtera verò esse adscita neque a religione collata, regibus ideo potestatem hanc nimiam ademerunt, curam verò sacrorum reliquerunt, regalisque dignitas jam quasi nudata alieno ornamento et justis finibus contenta fuit. Sic in omnibus Græciæ civitatibus sensim abolitam fuisse regum potestatem docet Aristoteles, præterquam quòd reges adhuc religionibus præerant ¹.

Ea autem dignitas, ut antea, ferè semper a patre ad filium transiit. Narrat Strabo Androclum Codri filium migrantibus in Ioniam Græcis præfuisse et Ephesum condidisse. Quamdiu illius nepotes regiam potentiam tenuerint, nos fugit; cæ autem abrogatâ, iis curam sacrorum, regium nomen honoresque relictos fuisse dicit Strabo, καὶ ἔτι νῦν, inquit, οἱ ἐκ τούτου τοῦ γένους ὀνομάζονται βασιλεῖς, ἔχοντές τινὰς τιμὰς, προεδρίαν τε ἐν ἁγίῳ, καὶ πορφύραν καὶ τὰ ἱερὰ τῆς Ἐλευσινίας Δήμητρος ².

Sic et apud Cyrenæos regibus ex gente conditoris Batti ademptam quondam potestatem, relictam verò religionem ab Herodoto accipimus ³.

Quum autem veterum regum in quibusdam urbibus seu extinctum genus esset, seu omnino ejectum, sacrificiis publicis alium quemdam præfecerunt, regio pariter nomine honoribusque decoratum, qui tamen nonnisi in sacris rex esset. Sic Iones aliquem e Prieniensibus *regem* eligebant qui sacra communia curaret ⁴. Unus è novem Atheniensium archontibus, rex nominatus, foco publico sacrisque patriis præerat, et illius erat de crimine impietatis cognoscere. Sic et Romæ rex quidam sacrorum publica sacrificia obibat; quoque anno, in comitio, id est, prope delubrum Vestæ et regiam ædem, sacra peragebat. At ne

¹ Aristotel. loc. cit.

² Strab. XIV, p. 632.

³ Herodot. IV, 161.

⁴ Id, VIII, p. 384.

nimiam sibi potestatem inde traheret, illi nefas erat magistratum ullum obtinere, et coram populo verba facere.

Dilacerata igitur est primorum regum potestas, publicum verò sacerdotium regiumque nomen Græci Romanique multâ cum reverentiâ servaverunt.

Romani quidem neminem, ac ne Cæsarem quidem, regem appellari passi sunt; non quòd nomen illud abominarentur, sed quòd sacrosanctum esset.

Si quis autem apud Græcos summam potestatem usurpaverat, non ideo illum regio nomine vocari fas erat, quippe qui non religioni præesset, neque è sacerdotali priscorum regum stirpe ortus esset.

XV.

De jure civitatis; de exilio; de pietate erga patriam.

Ex eâ quam diximus religione omnia ferè ejusque hominis jura orta sunt; quorum primum præcipuumque fuit publicis sacris accedere posse.

Si cui enim datur civitas, his ferè verbis datur, ut in edicto Atheniensium pro Plataënsibus videre est : *Πλαταιῆας εἶναι Ἀθηναίους ἀπὸ τῆσδε τῆς ἡμέρας, ἐντίμους καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἀθηναῖοι, καὶ μετεῖναι αὐτοῖς ὥνπερ Ἀθηναῖοις μέτεστι καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων*¹.

Si cui autem civitas adimitur, illi aquâ et igni, id est sacris interdicitur. His quidem verbis Cicero Româ expulsus est. Item et apud Græcos ejecto nullus jam erat ignis usus².

Romani quidem jus civitatis a verò jure Quiritium discernebant³; quorum hoc solidum totumque erat, illud partem tantum

¹ Demosth. *κατὰ Νεαίρ.*

² Polyb, IX, 40.

³ Plin, Epist. X, 4.

juris amplexabatur, eam scilicet quæ ad rem civilem attinebat. At qui verè Romanus erat et jure Quiritium fruebatur, ille erat sacrorum particeps gentilitiorum publicorumque.

Ex illa autem communione sacrorum plurima jura manabant; jus scilicet gentis et familiæ: is enim gentem et familiam habebat qui habebat sacra; jus censûs: ille enim in numero civium inscribi poterat, quæ res religiosa erat nec sine sacrificiis ac lustratione agebatur; jus connubii: quod quidem nemo externus habere in urbe poterat, quum esset extra sacra: jus veri domini: nulla autem possessio erat in urbe externo, quum nullus ei esse posset focus; jus hereditatis: nulla autem externo hereditas; quum enim nullius esset gentis, nulli heres naturâ erat; neque, si quando fieret heres testamento, sacris domesticis fungi poterat; jus denique patris erga liberos: id enim, ut supra dixi, e religione pendebat. His et alia quædam accedebant politica, jus scilicet libertatis, militiæ, suffragii, honorum.

Notandum est coloniis jus omne Quiritium fuisse, præter suffragia et honores¹. Scilicet jura religiosa habebant Romanorum, quia è genere Romano ortæ erant, non autem jura politica, ob longinquitatem.

Ita et Cæritæ, Romanam civitatem adepti, non politica Romanorum jura obtinuerunt, quum suas leges et suam libertatem servarent, sed religiosa, quòd, sacris Vestæ in bello Gallico receptis custoditisque et quasi communicatis, hospites Romanorum et quasi *συνέσται* facti fuerant.

Italici contrà, quum civitatem armis adepti sunt, non jure Quiritium communicato, non sacris, utpote qui non eodem genere essent, politica tantùm jura data sunt.

Nulli verò extra suam civitatem religio aut sacra esse poterant. Si quis igitur civitate minueretur, illi igni et aquâ interdictum

¹ Aul. Gell. XVI, 13; Cicer. pro Cecinâ, 35.

erat; id est, nullus jam erat illi focus, nullum sacrificium, libamenta nulla, nullæ preces, nullæ cum ritibus epulæ; nec nisi more bestiarum vesci poterat. Sin alicui foco appropinquaret, impia res erat et expianda; admittenti verò ipsi pœna erat ¹. Nihil illi cum Deo, nihil cum hominibus commune erat. Similis erat illi improbo de quo dicit Plato : καταλείπεται ἕρημος θεοῦ. Fugit ille hominum societatem; illi non lex est, non cives, non amici; imo non majores, non connubium, non liberi; ea enim omnia ex religione pendent; jam non uxor in manu viri est, et ab illâ quasi divortium est; liberi verò mancipantur aut alterius juris fiunt ². Illi jam nulla est hereditas. Solus ille secum et extra genus humanum, errat et suum cor edit. Adeo gravis erat apud veteres exsilii pœna.

At si qua urbs ab hoste capitur civitasque cum foco publico deletur, jam nulla est curia, nulla gens, nulla familia. Omnes religiones cum civitate simul dilabuntur; omnia jura intereunt; nihil restat nisi corpora sine Diis et quasi sine mentibus.

Si quando philosophi, sicut Plato et Aristoteles, civitatem finxerunt, nullum potentius vinculum ad jungendos homines reperere quàm virtutem aut utilitatem cujusque. At melius ipsa natura primos homines religione quâdam vinxerat. Inde sacrosancta fuit hominum societas inter se, dum numen divinum nascenti adfuisse et semper adesse crederent, intimum testem ac judicem, verè magistratum ducemque, omnis justitiæ legumque et imperii fontem, omnium adversus patriam delictorum vindicem. Inde hominum erga civitatem non modo amor, sed veneratio et pietas.

Hanc enim almam matrem, hunc omnium bonorum fontem, hoc benignum numen, patriam dico, defendere quisque debet,

¹ Cicer. pro Dom. 20.

² Gaius, I, 128; Ulpian. X, 3.

ita ut cogitet se pro aris et focis, pro religione, pro familiâ pugnare, quibus omnibus, si caruerit civitate, carebit. « Pro patriâ igitur mori, huic se totos dedere et in eâ sua omnia ponere et quasi consecrare debere » rebantur veteres ¹. Apud nos quidem patriam deserere turpe est, apud veteres etiam nefas erat.

Quum talis sit civitas, si quis eam læserit, non aliter cum eo agitur ac si erga Deos impius fuisset. Capite scilicet damnatur; corpus sine sepulturâ, sine ritibus in barathrum demittitur; bona proscribuntur. Eadem verò pœnæ sumuntur a sacrilegis ².

Vide apud Virgilium Sinonem illum patriam prodentem. Postquam rex ipse dixit : Noster eris; nihilominus sentit quàm magna res sit mutare patriam, Deosque precatus rogat :

*Fas mihi Graiorum sacra resolvere jura,
Fas odisse viros,*

quasi roget ut Dii velint in re impiâ notam impietatis delere.

Audi nunc ipsam Patriam, ipsas Leges Socratem compellantes : « Nos te genuimus, aiunt, nos educavimus, nos edocuimus; non ergo noster eris filiusque ac servus? Tibi aliquid mali a nobis experto licere putas ut nobis rursus aliquid mali inferas? Nescis præ patre et matre venerabiliorem sanctioremque esse patriam? Laboranti verò patriæ magis succurrere debes quam patri; si tibi vincula injicit, ferre; si te in prælia moriturum mittit, ire. Patri obsistere nunquam potes, quantò minus patriæ. » Non eæ fabulæ sunt, non inanis pro decore *προσωποποιία*; ea verò Socratem sensisse, neque unum Socratem, sed omnes veteres puta.

Quod quum ita fuerit, immenso in privatos imperio patria utebatur; tantum enim amoris devotionisque et obsequii a civibus postulabat, quantum apud nos inter patriam religionemque

¹ Cicer. de Legib., II, 2.

² Xenoph. Hellen. I, 7.

ac familiam dividitur. Laudata illa veterum libertas nihil erat nisi nomen; libertatem enim dicebant quum uni homini parere non oporteret; at nullus unquam tyrannus imperiosior esse potuit, quàm illæ leges erant. Quibus nihil erat in homine quod non pareret. Corpus enim ad id semper paratum esse debebat ut in prælia et in mortem mitteretur. Mens autem ita civitati obediens erat ut nullos Deos nisi publicè adscitos invocare posset, neque alio ritu ac patrio uti. Sæpe lex eam patri facultatem dabat ut filium humo non tolleret; interdum etiam debilem deformemve tolli vetabat, metuente patriâ ne quem minus formosum civem haberet. Apud Lacedæmonios civitas vetabat ne quis labori se daret; aliter quidem at non minus imperiosa lex Atheniensium neminem otiosum vivere sinebat.

Imo patria vitam omnem privatam regebat, et invigilabat moribus quasi intimus iudex. Quanta censorum Romanorum potestas, quanta pontificum! Illi dignitatis cujusque et probitatis arbitri erant; hi sacrorum, votorum, feriarum, sepulcrorum, hereditatis, divisionis agrorum potestatem habebant.

At juri semper officium respondet : civitatis est enim, ut ait Aristoteles, cavere non solum ut suum quisque tueatur et nihil in civili societate turbetur, sed etiam ut homines meliores justioresque fiant. Adeò eadem jura eademque officia patria habet quæ habere possit religio.

XVI.

De hoste.

Quemadmodum nemo externus in gente sacrificare poterat, sic nemo in civitate. Nemini nisi civi publica sacra tangere licebat. Erat suus cuique civitati focus, sua cuique Vesta, quæ civibus

tantum consuleret, externos aversaretur. Si quis externus sacrificio accessisset, foedatum sacrificium iratumque numen habebatur.

Eam ob causam, credo, diligentissime a veteribus cautum fuit ne quis externus inter cives subreperet; non ideo, ut dicit Secundatus, ne juris politici partem aliquis externus invaderet, sed potius ne sacra turbarentur. Si quis autem se civem mentitus fuerat, capitale erat.

Prytaneum quodque genus humanum, ut ita dicam, in duas partes dividebat, hinc cives, illinc hostes. « Apud majores nostros, ait Cicero, ille hostis dicebatur quem nos peregrinum dicimus ¹. » Civis nempè ille erat qui sacra patria peragebat, hostis qui non in eodem foco sacrificabat.

Cum hoste nihil commune esse poterat; illi enim alia erat religio, aliud genus. Nullum cum eo connubium erat; apud Athenienses nefas erat civi externam ducere uxorem; qui enim id agebat, erga leges, erga populum, erga Deos impius erat, quippe qui cum genera tum sacra misceret ². Ille ante tribunal thesmothetarum deductus et comprehensus cum fortunis vendebatur. Si quis autem mulierem externam, filiam suam esse mentitus, alicui collocaverat, bona fisco addicebantur, et ipse infamis erat, ἄτιμος.

Neque hostis in urbe quidquam possidere poterat. Athenienses τοὺς μετοίκους optimè habebant, præterquam quòd illos nullam in urbe domum possidere sinebant; illis enim nullus esse poterat focus.

Hosti nulla lex erat, nullum jus. Non poterat hostis, quamvis socius amicusque esset populo romano, nisi per quemdam patrum romanum, causam Romæ dicere.

Eadem igitur ipsa res quæ cives inter se jungit, illos ab exter-

¹ Cicer. de Offic. I, 12.

² Demosth. κατ. Νεσίπ.

nis distrahit. Quæ religio justitiam caritatemque inter cives esse jussit, eadem erga hostem pœnè odium esse jubet. Brevi factum est ut illa vox non jam externum modò, sed et detestatum armatumque significaverit : quasi inter duos homines qui non eundem Deum colerent, nihil commune esse posset præter bellum. Inde illa tam usitata in externos imprecatio : Hostibus eveniat hoc.

Quemadmodum autem aliquis in gentem et familiam adoptatur, ita in civitatem quoque, sed, priscis saltem temporibus, perrarò. Si cui civitas datur, res est magni momenti, quippe quum non modò domicilium et jura, ut apud nos, sed sacra communicentur. Non temerè neque facilè civitatem externo aperire solebant; ad eam rem omnes civium animi, omnes curæ intendebantur; consulebant enim, ait Demosthenes, et sibi et Diis, ne quandò impiè publica sacra peragerentur¹. Non adoptari quisquam inter cives poterat, nisi civium omnium consensu et lege a populo latà : quæ non inconsultè aut tumultuosè ferri poterat, sed duobus concionibus et sex millibus ad minimum suffragiis debebat sanciri. Imo vel lege latà, licebat Atheniensium cuilibet surgere et rem de integro ferre ac rogare ut ille a civitate excluderetur. De quo quum ita cautum fuisse videas, nullam rem fuisse in republicâ majoris momenti dixeris.

Quot foci publici, tot civitates erant; societas omnis intra civitatem versabatur; hîc omnes religiones, omnia jura, justitia, duces. Inde propria illa veterum de re politicâ ratio; inde omnis respublica intra terminos urbis definita fuit; inde non natio fuit in unum coacta, sed variæ inter se ac liberæ civitates; inde amor ille *αὐτονομίας*. Urbs enim quæque sui prytanei, sui Dei tenax erat; necesse autem erat, si qua civitas sese alteri dedisset,

¹ Demosth. κατ. Νεαίρ.

prytaneum quoque et sacra desereret. Quum Theseus omnes Atticos in unam, non urbem quidem, at civitatem coegit, quum antea duodecim essent in Atticâ civitates, omnia prytanea delevit, atque unum omnibus prytaneum instituit, sublatisque cujusque sacris ac festis, unum sacrificium, unamque diem festam, Panathenæa scilicet, omnibus esse jussit ¹.

Ut igitur plures urbes uno imperio regerentur, minui ac deleri religiones oportebat. Suam verò civitatem si quis alterius ditioni subjiceret, non turpe tantum erat, sed nefas, tanquam tradito ipso Deo. Ideo *ἀντιστοιχία* civitas quæque delectabatur, non ut sui juris, sed ut suorum sacrorum esset. Albanis quum grave bellum instaret, pollicente verò Tullo rege se nulli vitam fortunæve erepturum, si cum Romanis civitatem jungere vellent, responsum est : Unum quidem consilium duobus urbibus institui et unam esse civitatem quæ alteri imperet, non displicere; patriam verò relinquere et sacra patria deserere, non placere ². Jura igitur politica et libertatem alteri dedere fas erat, sacra et focum nefas.

Hoc autem responsum non Tullo satisfecit, quippe qui sentiret non unam posse constare verè civitatem, quum duo foci essent. Quid enim? quum omnis lex omnisque potestas a foco publico oriretur, non poterant Albani Romanos magistratus ut legitimos accipere; non eorum legibus parere poterant. Ut una civitas e duobus constaret, necesse erat alteram omnino deleri.

At ne bello quidem et victoriâ civitas numero augebatur. Victos enim in victorum sacra et civitatem admitti non fas erat; in servitatem redigebantur, quum in idem jus transire non possent. Soli fere inter veteres Romani victos in civitatem, sacris communi-

¹ Thucydid. II, 15; Plutarch. V. Thes. 24.

² Dionys. Halic. II, 101.

catis, acceperunt : de quâ quidem re, ut nimis magnâ, aliàs, si
licet, disseram.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbonâ, idib. jun.

ann. MDCCCLVII,

Facultatis Litterarum in Academiâ parisiensi

decanus,

J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur,

Pro Rectore parisiensis Academiæ,

ejusdem Academiæ Inspector,

DELALLEAU.





[illegible]







